CONSTITUTIONES CAPITULI Sacroſanctæ Papalis ECCLESIÆ LATERANENSIS

3

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMÆ, MDCCXXVIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

SUPERIORUM FACULTATE.

Google

INDEX TITULORUM

PARS PRIMA

DE Archipresbytero, ejuſque Vicario. pag. 7.
De Canonicis. 8.
De Collegio Beneficiatorum. 11.
De Clericis Beneficiatis. 12.
De Capellanis. 14.

PARS SECUNDA

De Divinis Officiis, & Servitio Eccleſiæ. 15.
De Præfecto Choro. 22.
De Servitio Chori. 24.

PARS TERTIA

De Capitulis. 35.
De Facultatibus Capituli. 36.
De Reddituum diviſione. 41.
De Officialibus in genere. 43.
Index Officialium eligendorum. 44.
De Camerariis. 45.
De Fabriceriis. 49.
De Syndicis. 54.
De Secretario, ſeù à Secretis. ibid.
De Præfecto Archivo. 55.
De Præfecto Capellæ Cantorum. 57.
De Præfecto Abbatiæ Ferentilli. 58.
De Præfecto Catechiſmo. 59.
De Præfecto Canonibus Vinearum. ibid.

De Camerariis Beneficiatis. 61.
De Magiſtris Sacrorum Rituum. 62.
De Scriptoribus Fallarum. 63.
PARS QUARTA
De Sacris Lypſanis. 65.
De Domiciliis Canonicorum, Beneficiatorum, & Clericorum Beneficiatorum. 67.
De Vicario Curato. 69.
De his Conſtitutionibus. 71.
Tabella dierum, in quibus Clerici Alumni Seminarii Romani tenentur intereſſe Choro, & deſervire Divinis Officiis. 73.
Dies communes totius anni, quibus tenentur Canonici, necnon Beneficiati, & Clerici omnes, & ſinguli intereſſe, & deſervire Divinis Officiis. 76.
Dies communes inter præſentes. 85.
Tabella horarum, in quibus Divinum Officium inchoari debet. 87.
Elenchus Cleri Lateranen. 88.
Juramentum præſtandum à Canonicis in adeptione Canonicatuum. 92.
Juramentum præſtandum à Beneficiatis, & Clericis. 93.
Juramentum præſtandum à Camerariis. 94.
Juramentum præſtandum à Scriptoribus Fallarum. 95.

CON-

CONSTITUTIONES CAPITULI *Sacroſanctæ Eccleſiæ Lateranenſis.*

PRÆFATIO

SI quàm in Orbe Chriſtiano univerſo Eccleſiam, dignum eſt, & conveniens luce Evangelicæ perfectionis ſplendeſcere non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ea ſanè eſt Lateranenſis Baſilica, quæ cunctarum Ec-

Digitized by Google

cleſiarum Caput, & Mater cæteris excellit, ſedetque Magiſtra diſciplinæ (*a*). Illum etenim Clerum ordinatiſſimum eſſe decet, à quo præcipuè in omnem Eccleſiam Cleri forma proceſſit,

Hinc quæ vetuſtiſſimâ conſuetudine firmata, quæ antiquis, & recentibus Conſtitutionibus Summorum Pontificum ſancita, quæ Sacrarum Congregationum poſterioribus decretis ordinata, & quæ demùm in Concilio Romauo, nupèr à Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIII. habito in hac eadem Sacroſancta Eccleſia, decreta ſunt, in hoc brevi Compendio colligere operæ pretium exiſtimavimus, ut ſcilicèt commodiùs memoriæ adhæreant, & faciliùs executioni demandentur,

PARS

a S. Bern. lib. 4. de Conſid.

PARS PRIMA

TITULUS PRIMUS

De Archipresbytero, ejuſque Vicario.

I. UBI Archipresbyteratus vacare contigerit, Capitulum Summo Pontifici humilitèr ſupplicet pro Succeſſore.

II. Electus Cardinalis in Archipresbyterum non poteſt poſſeſſionem adire (a), niſi præmiſſo jurejurando de obſervanda Bulla Innocentii XII. ſuper ſimultanea cùm Canonicis collatione Beneficiorum vacantium in ipſa Baſilica.

III. Vicarium deputet Prælatum gravem, & probum, non Canonicum ejuſdem, vel alterius Eccleſiæ, nec alii vinculo reſidentiæ obnoxium, qui in actu capiendi poſſeſſionem juramentum præſtare debeat de obſervandis Conſtitutionibus. Itidem teneatur per ſe ipſum Miſſæ Solenni, & Veſperis communibus diebus feſtivis de præcepto, & aliis ſolennioribus Eccleſiæ

a *Innoc. XII. in Indulto in forma Brevis dat.* 10. *Septembris* 1698. *Pont. anno X.*

Feſtivitatibus, Proceſſionibus, Capitulis, ac Congregationibus Capitularibus intereſſe; & , ſi non interfuerit, punctetur in duplum ejus , quo multaretur quilibet Canonicus, & multa eo ipſo accreſcat intereſſentibus.

IV. Vicarii præcipuum munus ſit (a) Præfecturam Chori diligentèr exercere; & ipſo præſente abſque ejus licentia de Choro nemo diſcedat. Licentiam non concedat, niſi ex juſtâ, & gravi causâ: ſub pœna perjurii teneatur punctationes quaſcumque fidelitèr referre, & præcipuè expreſſas in Decretis pro ſervitio Chori.

V. Abſente Vicario, idem ſervetur à Canonico digniori, & antiquiori, qui munus Præfecti Choro exercet.

TITULUS II.

De Canonicis.

I. Capitulum (b) conſtat ex decem, & octo Canonicis, totidemque Præbendis, pratèr Archipresbyteralem; quarum octo ſunt Presbyterales, quinque Diaco-

a *Alex. VII. in prædicta Bulla, & in Viſit.*
b *Gregor. XI. in Conſtit., & Alex. VII. in Viſit.*

conales, & quinque Subdiaconales; utque perpetuò idem ordo futuris temporibus ſervetur, tàm in Canonicis, quàm in aliis quibuſcumque perſonis Clerum Eccleſiæ conſtituentibus, quilibet proviſus teneatur in ejus proviſionis literis exprimere qualitatem Ordinis ſuæ Præbendæ annexi, alioquìn literæ præfatæ, tanquàm ſubreptionis vitio laborantes habeantur, & ipſe proviſus ad poſſeſſionem non admittatur.

II. Ante poſſeſſionem debeat, vt moris eſt (*a*), Orthodoxam Fidem coram Vicario profiteri juxtà formam Bullæ ſan: mem: Pii IV., quæ incipit: *Injunctum*, & jusjurandum præſtare de obſervandis hiſce Conſtitutionibus, ac ſupradicta Bulla (*b*) Innocentii XII. ſuper collatione Beneficiorum, ſub forma in fine Conſtitutionum regiſtranda.

III. Debeant paritèr primo ingreſſu (*c*) ſcuta 30., & ex redditibus primi anni dimi-

---

a *Gregor. XI. in Conſtit., Urban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*

b *Innocen. XII. in ſuprad. Brevi.*

c *Clemens VIII. in Bulla, & in Viſit., Urban. VIII. in Viſit., & Alexan. VII. in Brevi 8. Febr. 1664. Pont. ann. X., & in Viſit.*

midiam partem, ad ſcuta biſcentum taxatam, in ſacram Supellectilem, vel Eccleſiæ Fabricam erogandam, Sacrario perſolvere; ſcilicèt ſingulis menſibus ſcuta duodecim uſque ad integram ſummam; ità tamen, ut prædicta ſcuta 30. in ipſis ſcutis biſcentum comprehendantur.

IV. Canonici (*a*), & quilibet alius de Clero Ordinem ſuæ Præbendæ annexum, intrà tempus à Concilio Tridentino ſtatutum aſſumant, aliàs, eo tranſacto, pœnas à jure, Sacris Conciliis, & Conſtitutionibus Apoſtolicis inflictas incurrant.

V. Addiſcant itidem ſub iiſdem pœnis (*b*) cantum Gregorianum, &, juſto impedimento ceſſante, teneantur pſallere in Choro clara, & modulata voce.

VI. Miſſas conventuales (*c*) tàm pro Vivis, quàm pro Defunctis, necnon reliqua Divina Officia, quibus perſonalitèr obli-

a *Gregor. XI. in Conſtit., Alexan. VII. in Viſit., Concil. Viennen. 2., & in Clem. 2. de ætat., & qualitat., & Concil. Trid. ſeſs. 22. cap. 4.*

b *Concil. Trid. ſeſs. 21. de reform. cap. 12., Clemens VIII. in Viſit., & Concil. Roman. tit. 6. cap. 5., & tit. 16. cap. 3.*

c *Ex Decret. Urban. VIII. in Viſit.*

obligati ſunt, quilibet non legitimè impeditus, per ſe ipſum, non autem per ſubſtitutum, perſolvere teneatur. Idemque ſervetur à Beneficiatis, & Clericis.

TITULUS III.

De Collegio Beneficiatorum.

I. Beneficiati ſervitio Eccleſiæ addicti viginti numerantur (*a*), duodecim Sacerdotalis Ordinis, quatuor Diaconalis, reliqui Subdiaconalis.

II. Ante poſſeſſionem conſueto jurejurando ſe obſtringant (*b*); & primo ingreſſu Sacrario perſolvant ſcuta quindecim, necnon dimidiam portionem annui redditus(*c*) taxatam in ſcutis 70., ſcilicèt ſingulis menſibus ſcuta ſex, uſque ad integram ſummam, ità tamen, ut prædicta ſcuta quindecim comprehendantur in dictis ſcutis 70.

III. Præcipuum, intèr cætera, eorum munus ſit, onus hebdomadarii juxtà vices

ſuas

a *Gregor. XI. in Conſtit., & Alex. VII. in Viſit.*
b *Gregor. XI. in Conſtit., Clem. VIII. in Viſit., & Congr. Concil. 10. Octob. 1592.*
c *Alexan. VII. in Viſit., & idem in Breve die 8. Februarii 1664. Pont. anno X.*

ſuas exercere (*a*), Divinum Officium inchoando, & proſequendo juxta methodum præſcribendam in *Tit. De Divinis Officiis, & ſervitio Eccleſiæ*, & in alio *De ſervitio Chori*; Sacerdoti Canonico thurificanti Pluviale ſubſtinere; In Feſtis ſolennioribus decantare Invitatorium cùm Pſalmo *Venite exultemus*, & præintonare Antiphonas tàm in Matutinis, & Laudibus, quàm etiam in Veſperis, quandò induunt Pluvialia.

IV. Non admittantur (*b*) ad tractatus Capitulares, niſi vocati, neque vocem in Capitulo habeant.

TITULUS IV.

De Clericis Beneficiatis.

I. CLerici Beneficiati (*c*) duodecim ſunt, quos Ordinibus Minoribus initiatos eſſe oportet, ut Altari inſervire quilibet pro ſuo munere poſſit.

An-

a *Clemens VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*
b *Alex. VII. in Viſit.*
c *Gregor. XI. in Conſtit., Alexan. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*

II. Antequàm ad poſſeſſionem admittantur (*a*) jusjurandum de more emittant, perſolvantque Sacrario ſcuta ſeptem cum dimidio, computanda in ſumma, quæ taxatur in ſcutis trigintaquinque, perſolvenda pro dimidia portione primi anni, quęque dividitur in ſcuta tria ſingulis menſibus. (*b*)

III. Eorum præcipuum munus eſt peragere omnia, quæ pertinent ad Officium Acolythi, & Lectoris; & præſertìm Canonicis, tàm Celebrantibus, quàm Diaconi, aùt Subdiaconi munus explentibus (*c*), quando ſacra induunt, ac deponunt veſtimenta, inſervire; Celebranti etiam in Sacrario aquam ad lotionem manuum miniſtrare, ſub pœna amittendæ diſtributionis illius diei.

IV. Teneantur quoquè (*d*) inſervire Beneficiatis, Miſſas conventuales celebrantibus, quandò induunt, ac depo- nunt

a *Gregor. XI. in Conſtit., & Clem. VIII. in Viſit.*
b *Alexan. VII. in Brev.* 8. *Februarii* 1664. *Pont. ann. X., & in Viſit.*
c *Gregor. XI. in Conſtit., Vrban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*
d *Gregor. XI. in Conſtit., Alexan. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*

nunt ſacra veſtimenta, ſub pœna unius julii prò qualibet vice.

V. Inſuper debeant ad Primam legere Martyrologium Romanum cùm Nota.

TITULUS V.

De Capellanis.

I. TRedecim Capellani, duo ſcilicèt Hilariani nuncupati, quatuor Aldobrandini, totidem Urbani, Poſſentius unus, tanquàm Beneficiati; reliqui duo Urſini, tanquàm Capellani, & Cantores Eccleſiæ, inſerviunt juxtà leges fundationum reformatas à Sacra Congregatione Concilii, præmiſſo antè poſſeſſionem conſueto jurejurando.

II. Capellani Hilariani, & Urbani, qui ſupra, Sacrario perſolvant juxtà antiquam conſuetudinem ſcuta ſeptem, & obolos quinquaginta prò ingreſſu; nequè unus prò alio diverſæ fundationis poſſit inſervire.

PARS SECUNDA

TITULUS PRIMUS

De Divinis Officiis, & Servitio Eccleſiæ.

I. SI regulare omnium Canonicorum munus eſt Divina Officia, eâ, quâ decet, pietate ergà Deum celebrare, eo major noſtræ Eccleſiæ Canonicis, ac reliquis de Clero ineſt obligatio, cùm omnium Eccleſiarum ſit Mater, ut aliæ ejus exemplo, ad ſtudium, & amorem Divini Cultus magìs accendantur. Pro rectâ igitur hujus muneris diſtributione, hæc ſervanda proponuntur.

II. Integrum Servitium dividitur in commune, hyemale, & æſtivum.

III. Servitium commune (*a*) debet ab omnibus præſtari, ideoque commune nuncupatur. Complectitur Miſſas, Anniverſaria, Proceſſiones, & reliquas Functiones certis diebus fieri ſolitas, ut videre eſt in Tabella in calce addita.

Hye-

a *Alexan. VII. in Viſit.*

IV. Hyemale ità ſe habet.

V. Menſe Octobri omnes inſerviant per Quartarias, ſeù Quintarias, ut dicunt, proùt Ordo Officii, qui quotannis Typis datur, præſcripſerit; Canonici tamèn in primis Veſperis inſerviant die Dominico, feria ſecunda, & tertia; In ſecundis, die paritèr Dominico, feria quarta, quinta, & ſexta; reliqui omnes in primis Veſperis die Dominico, feria ſecunda, tertia, & quarta. In ſecundis die etiàm Dominico, feria quinta, ſexta, & Sabbato.

VI. A' menſe Novembri ad totum menſem Majum omnes inſerviant per hebdomadas alternatìm, quo tempore cuilibet de Clero, ut ſupra alternatìm inſervienti vacare permittitur per hebdomadam, ſingulis binis menſibus, ut præſcribi ſolet in Tabella de Servitiò hyemali, quæ à primo Cæremoniis Præfecto conficitur.

VII. Inſervientes (a) menſibus Octobri, Novembri, & Decembri lucrentur diſtributiones pro menſe Julio.

VIII. Januario, Februario, Martio pro menſe Auguſti.

Apri-

a *Ex Conſtitut. Bonifacii VIII. in Bulla ſub dat. Trebii 3. nonas Septembris 1299. Pont. ann. 5.*

IX. Aprili, Majo, & Junio pro menſe Septembri, ſi fuerint ſuperſtites.

X. Si præmoriantur, aut dimittant, illis debitæ diſtributiones inſervientibus accreſcant.

XI. Servitium æſtivum (*a*) præſtatur per quartarias, ſeù quintarias, ut ſuprà, à quo nemo abſolvitur, vel Indultorum, vel ægrotationis, vel qualibet alia cauſa: intereſſentibus accreſcit quotidiana illa parva diſtributio.

XII. Omnibus de Clero indulgentur duo puncta ſingulis ex ſupradictis menſibus: Canonicis verò aliud punctum ratione aſſiſtentiæ, per ipſos in Capitulis præſtandæ, ex peruetuſta Eccleſiæ conſuetudine: menſe tamen Octobri punctum unum.

XIII. De menſe Junio omnes quatèr inſerviant horis matutinis, bis horis veſpertinis.

XIV. Hujuſmodi ſervitii hyemalis norma conficiatur à primo Cæremoniis Præfecto, & Typis edita diſtribuatur.

XV. Anniverſaria(*b*)perſolvantur diebus à Teſtatoribus præſcriptis; ſi quandò

a *Alexan. VII. in Viſit.*
b *Urban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*

legitimum impedimentum interceſſerit, anticipentur ad Camerariorum arbitrium.

XVI. Die Dominico Veſperæ communes ſint tàm Canonicis, quàm Beneficiatis, & reliquis, qui ſunt de ſervitio, itaùt tàm pro primis, quàm pro ſecundis Veſperis ſuffragari poſſint: Intra hebdomadam verò tàm Canonicis, quàm Beneficiatis, & reliquis, ut ſupra, pro primis Veſperis, feria ſecunda, tertia, & quarta, pro ſecundis, feria quinta, ſexta, & Sabbatum aſſignantur.

XVII. In diebus Aſſumptionis, & Coronationis Summi Pontificis cantetur iuxtà ſolitum in Choro Miſſa Anniverſaria, proùt in die Cathedræ Romanæ 18. Januarii.

XVIII. Quotieſcumque idem Pontifex gravi morbo ægrotare contigerit, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, prævia ſolita notitia Præfecti Palatii Apoſtolici, in Eccleſia exponatur publicæ adorationi, ut pro ejuſdem ſalute oretur.

XIX. Cùm verò viam univerſæ carnis ingreſſus fuerit, Miſſa ſolennis Defunctorum, ut hactenùs obſervatum fuit, in ſuffragium illius animæ celebretur, idemque ſervetur in obitu Archipresbyteri, & Canonicorum.

XX. Conciones habeantur in ſuggeſtu ante Aram majorem extrà Chorum, vel in alio loco, Præfecti prudenti arbitrio tunc aſſignando (*a*). Dùm Concio habetur, omnes Canonici, & reliqui de Clero aſſiſtant ſub pœna amiſſionis medietatis emolumenti nuncupat. Communis illius diei; & eo tempore Vicarius invigilet, nè Laici ad Chori ſedilia admittantur.

XXI. Canonicis, (*b*) Beneficiatis, Capellanis, Clericis Beneficiatis, Eccleſiam ingredi, dùm peraguntur Divina Officia, abſque proprio habitu Chorali, proùt ratio temporis expoſcit, vetitum ſit ſub pœna excommunicationis, ex antiquis Conſtitutionibus.

XXII. Veſtis autèm Canonicorum à primis Veſperis omnium Sanctorum vſque ad primum Alleluja Miſſæ Sabbati majoris Hebdomadæ ſit Cappa lanea coloris violacei, cùm pellibus armellinis, ſuppoſito Rocchetto,

XXIII. Beneficiatorum, & Capellanorum, necnon Clericorum Beneficiatorum Cappa pariter lanea eiuſdem coloris cùm pel-

a *Vrban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*
b *Gregor. XI. in antiq. Conſtit.*

pellibus cinericeis, ſuppoſito etiam Rocchetto ſine manicis.

XXIV. A'Sabbato verò prædicto uſque ad Veſperas Vigiliæ omnium Sanctorum, Canonici induant ſuperpelliceum ſupra Rocchettum.

XXV. Reliqui, qui ſupra, tantùm Superpelliceo utantur.

XXVI. In ſupplicationibus, quæ intra, vel extra Eccleſiam habentur, omnes procedant debito ordine.

XXVII. In omnibus, & ſingulis Eccleſiæ Proceſſionibus (a) idem ordo præcedentiæ ſervandus, qui in Choro, quod ſi ultimus Beneficiatus Socio caruerit, ei Socium ſe adjungat antiquior Capellanus Hilarianus, & ſi ultimus ex dictis Capellanis Hilarianis Socio caruerit, eum comitetur primus Capellanus Urbanus: Si & hìc caruerit Socio, antiquior Clericus Beneficiatus eum comitetur Cappa indutus, qua ſi caruerit, tres Capellani Urbani ſimùl incedant ultimo loco, eoſque ſequantur Clerici Beneficiati cùm Superpelliceo.

Ho-

a *Urban. VIII. in Viſit.*

XXVIII. Horas Canonicas (*a*) tàm Canonici, quàm Beneficiati, & Clerici Beneficiati, ac Capellani omnes alta voce, & intelligibili pronuncient, voces ſuas Cantoribus uniformiter adjungentes; aliàs non faciant fructus ſuos.

XXIX. Pſallant (*b*) non per ſyncopam, ſed facto puncto in medio cujuſcumque verſiculi; Verba non concidantur, nec ſequens Pſalmi verſiculus inchoetur, quin prior ſit integrè abſolutus: quod ſi ſecùs fecerint, multentur arbitrio Præfecti Choro, & non multati, ſciant, ſe non facere fructus ſuos.

XXX. Antiphonæ omnes (*c*) tàm in Matutinis, quàm in Laudibus, & Veſperis præintonentur, una videlicet à Cornu Evangelii, altera à Cornu Epiſtolæ alternatìm, & ſic uſque ad ultimam.

XXXI. Intervenientes Divinis Officiis, Proceſſionibus, & aliis Functionibus Eccleſia-

a *Gregor. XI. in antiq. Conſtit., Concil. Trident. ſeſs. 24. cap. 12. de reformat., Clemens VIII., Alexan. VII., & Innocen. XII. in Viſit.*
b *Urban. VIII., Alex. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*
c *Urban. VIII. in Viſit.*

Digitized by Google

ſiaſticis cùm ficta coma (*a*), aut alio capitis operimento, illam imitante, habeantur tanquam abſentes.

XXXII. Clerici Alumni Seminarii Romani in numero ſaltèm denario teneantur Choro intereſſe, ac Divinis aſſiſtere Officiis in diebus in Tabella infra regiſtranda expreſſis: quod ſi id præſtare neglexerint, ſingulis vicibus in duobus aureis in auro punctentur, retinendis à Camerariis ex taxa pro Seminario deſtinata.

TITULUS II.

De Præfecto Choro.

I. Vicarius (*b*) in Choro præſens ipſe ſit Choro Præfectus, &, eo abſente dignior, ſeù antiquior Canonicus id munus exerceat: Canonicus verò Pluviali indutus, immunis ſit ab Officio Præfecti Choro, & Punctatoris.

Præ-

a *Innoc. XII. in Viſit., Clem. XI. in Decreto ſub die 4. Maji 1701. exiſten. in Secretaria S. Viſitationis Concil. Rom. tit. 16. cap. 3.*

b *Urban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*

II. Præfectus Choro (*a*) ſedulò invigilet, ut ea, quæ pro Diſciplina Chori decreta ſunt, executioni demandentur (*b*). Teneatur itidem ſub pœna perjurii, ut ſupra dictum fuit *Tit.* 1. *de Archipresbyt.* §. *Vicarii*, punctationes quaſcumque fidelitèr referre, neque eidem liceat ſub quovis prætextu nec unum punctum condonare; &, ſi id præſtare neglexerit, ultrà refectionem tantidem de proprio, aliis pœnis etiam pecuniariis arbitrio Cardinalis Archipresbyteri plectatur, quæ cum aliis pœnis extraordinariis applicatæ exiſtant Sacriſtiæ (*c*). Invigilare quoque debeat nè Laici tempore Divinorum Officiorum in ſedilibus Chori ſedeant (*d*). Nemini licentiam diſcedendi de Choro concedat, niſi ex juſta, & gravi cauſa.

a *Alexan. VII. in Viſit.*
b *Alexan. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*
c *Alexan. VII. in Viſit.*
d *Concil. Roman. tit.* 28. *cap.* 4.

TITULUS III.

De Servitio Chori.

I. MAnſionarii (*a*) pro Matutino, & Veſperis Campanas ſtatutis horis pulſent, quæ pulſatio per integram horam habeatur, & in fine detur ſignum tribus pulſationibus Campanæ majoris.

II. Ut autem omnes (*b*), qui in Eccleſia, vel circa reperiuntur, ingreſſum ad Chorum inſtare intelligant, anteà per ſemiquadrantem pulſetur Campanula Sacrarii.

III. Tàm Canonici (*c*), quàm Beneficiati, & alii à Sacrario ad Chorum procedentes, & è converſò à Choro ad Sacrarium redeuntes, in ſuo quiſque loco, & cùm ſilentio incedant, & Crucem ſequantur, alìàs multentur arbitrio Vicarii.

IV. Canonici Presbyteri (*d*) in Choro ſedeant à latere Evangelii; à latere verò Epiſtolæ Diaconi, & Subdiaconi; idemque ſer-

a *Gregor. XI. in Conſtit., & Urban. VIII. in Viſit.*
b *Alexan. VII. in Viſit.*
c *Alexan. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*
d *Urban. VIII. in Viſit.*

ſervent Beneficiati juxtà eorum ordines. Poſt eos immediatè ſedeant in eodem ſcamno Capellani, Hilariani primò, poſteà Clementini, & ſucceſſivè Urbani. Et quia inconveniens eſſet reſpicere Chorum ex una parte majoris numeri, quàm ex altera, ideò primi tres Diaconi Beneficiati debeant ſedere in ſcamnis, & ſtallis poſt Beneficiatos Presbyteros à latere Evangelii. Clerici Beneficiati juxtà eorum antianitatem ſedeant in ſcamnis ex utroque latere ante Beneficiatos. Contravenientes multentur uno puncto.

V. Præſens in Choro non cenſeatur, (*a*) qui non intererit Matutinis ante finitum Hymnum, qui dicitur poſt Pſalmum *Venite exultemus &c.* reliquis horis, & Veſperis ante completum *Gloria Patri &c.* primi Pſalmi: Miſſis ante ultimum *Kyrie*.

VI. Officium Divinum (niſi aliter evidens neceſſitas ſuadeat) cantetur quotidie (*b*) ſub pœna amittendi diſtributiones illius diei; ac proindè quilibet de Clero ſtudeat addiſcere Cantum Gregorianum.

Offi-

---

a *Urban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*
b *Clemens VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*

VII. Officium verò parvum Beatæ Mariæ Virginis, & Mortuorum, Pſalmi Pœnitentiales,& Graduales (*a*) legantur juxtà conſuetudinem Baſilicæ, & Rubricas; Omnia tamen alta, & clara voce devotè recitentur.

VIII. Servetur præcipuè omnimoda diſpoſitio Rubricarum Pontificalis,Miſſalis, Breviarii, Directorii Chori, necnon Cæremonialis Epiſcoporum, & Ritualis Romani, retentis tamen priſcis ritibus peculiaribus Eccleſiæ Lateranen., ſcilicet ut reſpondeatur = *Miſerere nobis* = ad tertium *Agnus Dei*, & Sacerdote ad Sacrum celebrandum accedente, Diaconus ad dexteram, Subdiaconus ad ſiniſtram pari paſſu incedant.

IX. Nemo (*b*) in Choro tàm tempore Officiorum, quàm Miſſarum, quæ à Canonicis, & Clero cantantur, vel recitantur, privatìm Officium recitet, nec, quod indecentiùs eſt, Epiſtolas, aliaque ſcripta legat, vel mittat ſchedulas, aut confabulari præſumat, neque chirothecas, aut alia manuum tegmina deferat, ſub pœna unius

a *Urban.VIII., Alex.VII.,& Innoc.XII.in Viſit.*
b *Urban.VIII., Alex.VII.,& Innoc.XII.in Viſit.*

unius puncti qualibet vice, & diſtributiones illius horæ, non lucretur.

X. Dùm Divina peraguntur, nemo à Choro diſcedat (a), neque ad Miſſam celebrandam pro ſua devotione, vel obligatione, niſi vocatus fuerit per Sacriſtam, ut celebret in Eccleſia, & obtineat licentiam à Vicario, vel Præfecto Choro. Qui autem in hoc defecerit, punctetur tanquàm abſens, &, non punctatus, ſciat ſe diſtributiones tuta conſcientia nullatenùs percipere poſſe.

XI. Qui ſilentium (b) in Choro, & in Proceſſionibus non ſervaverit, aut ſuo loco non manſerit, vel, dùm ſtandum, ſedendum, aut genuflectendum fuerit, non ſteterit, ſederit, aut genuflexerit, uno puncto pro qualibet vice punctetur.

XII. Habitum (c), quo pro temporis ratione in Choro utendum fuerit, quamvis aliàs Eccleſiaſtico indutus, qui non detulerit, præſens non habeatur, & uno puncto pro qualibet vice multetur.

Cho-

---

a *Urban. VIII., Alex. VII., & Innoc. XII in Viſit.*
b *Alex. VII. in Viſit.*
c *Alexan. VII. in Viſit.*

Digitized by Google

XIII. Choro intereſſentes (*a*) tonſuram, coronam, & habitum talarem ſemper deferre teneantur ſub pœna unius puncti.

XIV. Abſolutis in Choro Divinis Officiis, (*b*) quilibet flexis genibus ſaltem Orationem Dominicam dicat; & antequàm Præfectus Choro aſſurgat, è loco non diſcedat, niſi ſervato ordine, primò ſcilicet Canonici, ſecundò Beneficiati, tertiò Capellani, ac ultimò Clerici, ſe ſe invicem conſalutantes.

XV. Omnes de Clero nondùm Sacerdotali charactere inſigniti, ſingulis menſibus, die præſcripta per Cæremoniis Præfectum, Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reficiantur per manus Canonici ſolenniter celebrantis, ſub pœna unius Aurei Sacrario applicandi (*c*). Reliqui Sacerdotali charactere inſigniti admoneantur, ut diebus Dominicis, & Feſtis ſolennibus celebrent ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini. Canonici verò Diaconus, & Subdiaconus inſervientes Altari feſtis diebus, (quod, niſi legitimè impeditus, per ſe ipſum qui-

a *Sixtus V. in Conſtit.* 92.
b *Urban. VIII.*, *&* *Alexan. VII. in Viſit.*
c *Clem. VIII.*, *Urban. VIII.*, *&* *Alex. VII. in Viſit.*

quilibet præſtare debet) paritèr Euchariſtiam ſumant, vbi tamen Canonicus non ſit ex deuotione celebraturus iuxtà decretum Sacræ Congregationis Viſitationis, ſub eadem pœna.

XVI. Epiſcopo, aut Canonico Veſperas celebrantibus, ſex Beneficiati (*a*) aſſiſtant Pluvialibus induti, & genuflectant ante Altare ad normam in decretis Sacræ Viſitationis Apoſtolicæ præſcriptam, & in Sacrario affixam; In minoribus ſolennitatibus aſſiſtentia reguletur arbitrio Capituli.

XVII. Et hoc præſtare itidem debeant (*b*) celebrantibus Horas matutinas in die Natali Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Dedicationis Eccleſiæ, Sancti Joannis Apoſtoli, & in Feſto Corporis Chriſti, necnon Sancti Joannis Baptiſtæ, Reluctantes aureum unum ſingulis vicibus amittant, quod ſupplenti vices accreſcat, excuſatione, niſi à Choro Præfecto approbetur, minimè ſuffragante.

XVIII. Epiſcopo (*c*) in Veſperis, ac in

a *Alexan. VII. in Viſit.*
b *Alexan. VII. in Viſit.*
c *Sac. Rit. Congreg. die* 2. *Decembris* 1688., *&* *die* 18. *Junii* 1689.

Digitized by Google

in ſolenni Sacro Populum benedicente, Beneficiati, Capellani, ac Clerici Beneficiati genuflectant, idemque præſtent, dùm generalis Confeſſionis forma in Miſſa recitatur.

XIX. Officia communia (*a*) in Feſtis ſolennioribus celebrentur in Choro majori tempore hyemali, in reliquis Feſtis, & diebus ferialibus in Choro parvo.

XX. Chori ſervitium (*b*) tàm æſtivo, quàm hyemali tempore, non Capituli arbitrio, ſed per Cæremoniarum Magiſtros, antianitatis habita ratione, dividatur; liceat tamen poſt peractam diviſionem, Canonico cùm Canonico, Beneficiato cùm Beneficiato, Capellano cùm Capellano ejuſdem fundationis, Clerico cùm Clerico hebdomadam commutare; quæ permutationes non cenſeantur validæ, niſi priùs propoſitæ fuerint in Capitulo, & ab eodem approbatæ.

XXI. Hujuſmodi autem permutationes (*c*) minimè fiant, niſi prævia ſcientia, & conſenſu alterius, cùm quo facienda eſt permutatio. De-

a *Urban. VIII. in Viſit.*
b *Alexan. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*
c *Ex Decret. Capit. die 21. Septembris 1555.*

XXII. Debitis horis non intereſſentes Choro, & debita Officia non obeuntes (a) quotidianis diſtributionibus pro rata omninò careant, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa; quæ jure accreſcendi præſentibus augeantur.

XXIII. Nullæ exemptiones à ſervitio Chori admittantur (b), niſi quæ à Summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione Concilii Tridentini Interpretum emanaverint, vel aliàs de jure competant.

XXIV. Omnes habentes Indulta pro diebus, & horis, ſi non inſervierint, punctentur, (c) ſicùt cæteri, dummodò tamen non allegaverint particularia impedimenta ratione eorum munerum coram Vicario, cuius Judicio deferendum ſit.

XXV. Cantores (d) quicumque in iis, quæ ad ſervitium Chori pertinent, teneantur eidem Choro Præfecto ſubjacere, itaùt qui

a *Urban. VIII. in Viſit.*

b *Clemens VIII., & Urban. VIII. in Viſit.*

c *Ex Decret. Congreg. partic. ſub Innoc. XII. 28. Maji* 1693.

d *Ex Decret. Capit. die* 25. *Octobris* 1603.

qui non interſunt, vel negligentèr officio deſerviunt, aut confabulantur, poſſint ab eo multari, & punctari in ea portione, quæ ipſos quotidiè tangit, ad formam, qua punctantur reliqui de Clero, quæ aliis inſervientibus accreſcat.

XXVI. Liceat cuilibet Canonico, cæteriſque omnibus Eccleſiæ ſervitio mancipatis, ſemel in anno per decem dies ità ſpiritualibus exercitiis vacare, ut, tanquàm præſentes, reputentur, dummodò tamèn exercitia peragantur, obtenta priùs à Capitulo licentia, à quo ſolùm denegari debeat tempore Aduentus, Quadrageſimæ, ac in ſolennioribus Feſtivitatibus.

XXVII. Eadem facultate per quindecim dies gaudeant, & potiantur, ſi ad viſitandam Sanctam Lauretanam Ædem perrexerint. Qua verò die ſemel quolibet anno ſeptem Urbis Eccleſias viſitaverint, exempti ſint à ſervitio.

XXVIII. Capellani omnes, qui nunc exiſtunt ad inſtàr Beneficiatorum, & pro tempore exiſtent, teneantur in Choro horis Canonicis intereſſe juxtà leges ſuarum fundationum, reformatas à Sacra Congregatione Concilij, itaùt punctaturas alteri

con-

condonare non poſſint, ſed exequantur inviolabiliter ſub pœna arbitrio Vicarii, vel Chora Prefecti.

XXIX. Qui ad Sextam, & Nonam præſentes non erunt (*a*), omninò punctentur uno puncto, quocumque abuſu, & tolerantia penitùs abrogata, exceptis tamen, qui Sacrificio Miſſæ inſervierunt, qui ad Sextam non punctentur, Celebrans verò neque ad Sextam, neque ad Nonam.

XXX. Quotieſcumque in Eccleſia adorandum exponitur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro Oratione Quadraginta Horarum (*b*), tempus inter ſingulos Canonicos, Beneficiatos, & Clericos Beneficiatos ità diſtribuatur, ut ſaltem bini alternis horis diei ſemper aſſiſtant, Canonici pro aſſiſtentia lucrentur obolos 30. Beneficiati 15. Reliqui de Choro 7. $\frac{1}{2}$. Deficientium verò portiones eorum vices ſupplentibus accreſcant; prædictaque diſtributio anticipatè per Magiſtros Cæremoniarum conficiatur, & deſcribatur in folio affigendo in Sacrario.

XXXI. Beneficiati, Capellani, &

C Cle-

a *Alex.VII., & Innoc.XII. in Viſit.*
b *Alexan.VII., & Innoc.XII. in Viſit.*

Clerici diebus , quibus non tenentur ad Chori ſervitium ratione ſuorum Beneficiorum , quatenùs velint inſervire per ſe ipſos ad Veſperas , & Completoria totius anni , exceptis Dominicis , & communibus diebus , de fructibus Locorum Montium aſſignatis à quondam Zenobio Mei proportionabiliter participent ad formam ejuſdem diſpoſitionis , expreſsè declarantis , hujuſmodi diſtributionem non deberi illis , qui pro aliis inſerviunt , vel ſunt exempti à quolibet Indulto , vel Officio , etiamſi pro Eccleſiæ ſervitio abſint à Choro . In Veſperis autem , & Completoriis æſtivi temporis , & Quadrageſimæ inter Capellanos , & Vicarium Curatum perpetuum Eccleſiæ prædictæ diſtributiones dividantur , excluſis Beneficiatis , & Clericis.

PARS TERTIA

TITULUS PRIMUS

De Capitulis.

I. CAPITULA (a) qualibet hebdomada die Sabbati poſt abſolutas Horas Canonicas habeantur, niſi ex rationabili cauſa Canonicis Camerariis alitèr viſum fuerit. Abſentes non legitimè impediti careant emolumento.

II. Vicarius, & Canonici omnes adeſſe dictis Capitulis teneantur (b) in habitu Chorali, aliàs pro abſentibus habeantur. Qui nondùm Sacris Ordinibus ſunt initiati, nec voce activa, nec paſſiva fruantur; & in ſedendo, & reſpondendo idem Ordo præcedentiæ ſervetur, qui ſervatur in Choro.

III. Negotia (c) tàm ſpiritualia, quàm temporalia à Camerariis, Fabriceriis, & à Canonico, qui eſt à ſecretis, proponantur,

a *Alex. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*

b *Ex Concil. Trid. ſeſs. 22. cap. 43. de reformat.*

c *Alexan. VII. in Viſit.*

Digitized by Google

perque aperta ſuffragia, vel, ſi opus fuerit, aut aliquis ex Canonicis id expoſtulaverit, per ſecreta definiantur.

IV. Tractatus (*a*), & ſecreta Capituli nemo audeat ſub pœna excommunicationis revelare.

V. Si contigerit in Capitulis agi de rebus pertinentibus ad aliquem Canonicum, ſiuè ejus propinquum in primo, & ſecundo conſanguinitatis gradu, tùnc recedat, ut plena cæteris Vocalibus decernendi ſit libertas.

TITULUS II.

De Facultatibus Capituli.

I. COllatio (*b*), proviſio, & omnimoda alia diſpoſitio omnium Beneficiorum Lateranenſis Eccleſiæ, tàm intra eam, quę Beneficiatus, ſeù Clericatus Beneficiati, Capellaniæ, ſeù alio quovis Titulo nuncupentur, quàm extra eam, quæ forenſia appel-

a *Gregor. XI., & Innocen. XI. in Breve vie 8. Ianuarii* 1678.

b *Ex Indulto ſa. me. Innecens XII. ſub dat. Romæ* 11. *Septembris* 1698.

pellantur, ſimultaneè pertinent tàm ad Archipresbyterum, quàm ad Capitulum, & Canonicos; quæ Collatio fieri debeat per hebdomadas, incipiendo à die Sabbati hora XX. alternatìm inter Archipresbyterum, & Capitulum, itaut in vna Archipresbyter, in altera Capitulum conferat; Nominatio verò per Turnum inter Canonicos, antianitatis habita ratione, dividatur.

II. Pro Bullis Proviſionum (a), quas ſolent expedire pro dictis Beneficiis fundatis in Solo Lateranenſi, nihil prorsùs emolumenti percipere poſſint; Notarius autem accipere queat mercedem ſuo labori convenientem, quæ tamen, Scriptura, Sigillo, & cæteris omnibus computatis, unum aureum in auro non excedat,& dummodò ipſi Notario Salarium aliquod pro ſuo Officio exercendo conſtitutum non ſit; & ex pecunia, quam accipiet, nihil prorsùs emolumenti Collatores directè, vel indirectè percipiant.

III. Lateranenſem Ecclesiam, quotiès ſanguinis, aut ſeminis effuſione pollui

 con-

a *Clemens VIII. in Viſit.*, & *in Conſtitut. antiq. Sac. Congreg. Concilii in Decr. an.* 1592.

contingat (a), Capitulum facultatem habeat reconciliandi, dummodò aqua priùs per aliquem Epiſcopum, ut moris eſt, ſit benedicta.

IV. Dignior, ſeù antiquior Canonicus (a) poteſtatem habeat benedicendi ſacram Supellectilem, exceptis iis, in quibus ſacra Unctio adhibetur.

V. Potitur etiam Capitulum (c) jure nominandi Vicarium Curatum perpetuum ad curam Animarum, dummodò ſit ex approbatis à Cardinali Papæ Vicario.

VI. Capitulo unitum eſt Officium Archidiaconi (a), ſeu, ut dicunt, Presbyteri aſſiſtentis in Capellis Pontificiis, quandò Cardinales, & Epiſcopi Miſſas ſolennes, & Veſperas celebrant. Habet uſum habitus coloris violacei, & inter Referendarios, & Prælatos Domeſticos adnumeratus exiſtit. Quotieſcumque autem ejuſmodi Officium vacare contigerit, Capitulum per ſecreta ſuffragia ſex Canonicos aptiores eligat,

a *Vrban.V.in Bulla* 4. *Idus Maii* 1370.
b *Ex Decret. Congreg. Sac.Rituum* 4. *Iunii* 1644.
c *S. Pius V.in Conſtit.* 139.
d *Alexan.VII. in Breve* 10. *Decembris* 1655., & 10 *Iunii* 1657.

Digitized by Google

gat, quorum nomina per Cardinalem Archipresbyterum Sanctiſſimo deferantur, ut ex illis aliquem ſuo eligat arbitrio. Et, ſi ità electus aliquo detineatur impedimento, penès Capitulum ſit facultas alterum ſubſtituendi.

VII. Facultas quoque eſt penès Capitulum Officiales eligendi in die Feſtivitatis Sancti Andreæ Apoſtoli, eorumque Officia prorogandi uſque ad triennium; proùt etiam deputandi omnes, & quoſcumque Miniſtros, qui ſervitio Eccleſiæ, & rei œconomicæ præponi ſolent (a); Adminiſtratio verò, & diſpoſitio bonorum pertineant ad Canonicos, privativè quoad Beneficiatos.

VIII. Licèt ex notiſſima Conſtitutione Pauli II. Prædia Eccleſiaſtica locari nequeant ultrà triennium, tamen ex ſpeciali Indulto (b) permittitur Capitulo ea locare ad novennium.

IX. Defenſorià Aquæ Marianæ ad Archipresbyterum, & Canonicos æquè pertinet ex immemorabili conſuetudine re-

 lata,

a *Alexand. VII. in Viſit.*

b *Alexan: VII. in Viſit., & in Breve 18. Novembris* 1656.

lata, & approbata in antiqua Conſtitutione Bonifacii IX. data apud Sanctum Petrum II. Nonas Maii 1399. Anno decimo, & noviſſimè à SS. D. N. BENEDICTO XIII. in ſuo Chirographo dato Romæ die 30. Junii 1725. Sic tamen, ut omnes ſortitò extrahantur, adhoc, ut quolibet biennio bini hoc munus exerceant.

X. Onera Anniverſariorum, & Communium in Eccleſia in poſterùm à Capitulo acceptari nequeant, niſi deſupèr accedente Canonicorum conſenſu pro duabus ex tribus partibus, necnon ſervata forma Decreti ſan. mem. Innocentii XII.

XI. Electio Prioris Capellanorum, ſeù Clericorum Hoſpitalis ad Sancta Sanctorum (a) ſpectet ad Capitulum; idemque Prior eligatur de numero Beneficiatorum duraturus arbitrio Capituli. Ejus inter cętera curæ ſit Miſſam celebrare in die Cœnę in Eccleſia S. Andreæ, privativè quoad Vicarium Curatum perpetuum, cæteroſque omnes Hoſpitalis Miniſtros.

T I-

a *Ex Statut. Societatis Sanctiſſimi Salvatoris de electione Prioris cap.* 19., *& ex Sententia bo. me. Bernini lata ſub die* 22. *Octobris* 1691. *per acta Martoli Notarii Eminentiſſimi Vicarii.*

TITULUS III.

De Reddituum diviſione.

I. OMnes Proventus, qui de Maſſa groſſa nuncupantur, & qui ex Dotibus Anniverſariorum percipiuntur in 32. portiones dividantur, ex quibus una Archipresbytero, decem, & octo Canonicis, decem Beneficiatis, reliquæ tres Clericis Beneficiatis debeantur.

II. Redditus Abbatię Claracenſis, Henrici Quarti Galliarum Regis munificentia Capitulo donati, ità dividantur, ut medietas integra aſſignetur octo Canonicis, quos ideò Breviſtas vocant, quia per ſpeciale Diploma à Rege Chriſtianiſſimo nominantur. Altera pars, detractis tamen ſingulis expenſis, in reliquum Clerum diſtribuatur, admiſſis etiam dictis Canonicis Breviſtis.

III. Canonicis quolibet anno triginta Cadi Vini.

IV. Beneficiatis quindecim.

V. Clericis Beneficiatis ſeptem cum dimidio, ſingulis pro ſua Præbenda aſſignentur ex Canonibus Vinearum de Capituli proprietate.

Ar-

VI. Archipreſbytero, & tribus recentioribus Canonicis loco ipſius Præbendæ perſolvantur ſcuta 22. 50. pro ſingulis quolibet anno.

VII. Quinque poſterioribus Beneficiatis ſcuta undecim cùm obolis vigintiquinque.

VIII. Quinque Clericis Beneficiatis paritèr poſterioribus ſcuta quinque, & oboli ſexaginta duo cum dimidio pro ſingulis quolibet anno, ſimili modo, loco eorum Præbendæ.

IX. Ad has autem Præbendas detur optio.

X. Proventus Caſalis Trigoriæ (a) æquis portionibus inter Archipresbyterum, & Canonicos tantùm, Laudemia, & Quindennia inter eoſdem, dummodò præſentes, dividantur.

XI. Quoad reliquas minutas diſtributiones ſervetur ſolitum, præterquàm quoad Beneficiatos in Ordine Presbyterali conſtitutos, quibus, dùm Miſſam cùm Diacono, & Subdiacono cantabunt, ultrà

a *Ex Conſtit. Alexan. Cardinalis Farneſii Archipresbyteri, confirmat. à Leone X. pridiè nonas Maii 1520.*

Digitized by Google

trà conſuetam diſtributionem , duo alii oboli cùm dimidio augeantur.

TITULUS IV.

De Officialibus in genere.

I. QUotannis (*a*) die Feſto S. Andreæ Apoſtoli, ut moris eſt, præmiſſo ejus Sacro, & conſueta Oratione de Spiritu Sancto, præſentibus Archipresbytero, aut ſaltèm ejus Vicario, unà cum Notario, in Aula Capitulari, prævio ſolito jurejurando à ſingulis Canonicis præſtando de dignioribus, & aptioribus eligendis, procedant ad electionem Officialium per ſecreta ſuffragia; quæ electio prorogari poſſit (*b*) ex legitima cauſa ad triennium: Eo vero elapſo confirmari non poſſint, abſque expreſſa Papæ licentia.

II. Electi exercitium Officii recuſare nequeant (*c*), niſi ex juſta cauſa à Capitulo per ſecreta ſuffragia approbanda ad formam decreti Sacræ Viſitationis Apoſtolicæ, & Bul-

a *Alexan. VII in Viſit.*, *& in Bulla la* 34.
b *Clemens X. in Breve* 22. *Februarii* 1674.
c *Alexan. VII. in Viſit.*, *& in di a Bulla* §. 3.

& Bullæ Alexandri VII.; aliàs teneantur ſubire pœnam amiſſionis omnium fructuum ad ſex menſes in dicta Bulla inflictam.

III. *Index Officialium eligendorum.*

Ex Canonicis.
Bini Camerarii.
Bini Fabricerii.
Bini Syndici.
A Secretis.
Præfectus Archivo.
Præfectus Capellæ Cantorum.
Præfectus Abbatiæ Ferentilli.
Præfectus Doctrinæ Chriſtianæ.
Præfectus Canonibus Vinearum.

Ex Beneficiatis.
Duo Camerarii.
Duo Præfecti Sacris Ritibus.
Duo Scriptores Fallarum.
Duo Cuſtodes Capitum SS. Apoſtolorum.
Ratiocinator Eccleſiæ, ac Secretarius Defenſoriæ Aquæ Marianæ.

IV. Reliqui verò Adminiſtratores bonorum, reddituum, ſeù pecuniarum Eccleſiæ, à Capitulo quomodolibet deputari ſoliti,

liti, quovis nomine nuncupentur, poſt annum confirmari non poſſint, niſi priùs exhibita, & reddita ratione dati, & accepti (*a*).

TITULUS V.

De Camerariis.

I. CAnonici Camerarii (*b*) priuſquàm, ad Officii exercitium admittantur, Juramentum de fidelitèr adminiſtrando, præſtare debeant coram Archipresbytero, vel ejus Vicario, juxtà formulam in fine præſcriptam.

II. Eorum curæ ſit ea Bona adminiſtrare, quæ ſpectant, vt dicitur, ad maſſam groſſam, necnon Proventus Abbatiæ de Clairac, & Caſalis Trigoriæ (*c*); ideoque ſingulis hebdomadis in Ædibus Camerarii antiquioris habeantur Congregationes Capitulares, quibus adeſſe debent Camerarii, cæterique Capituli Officiales, & poſſint etiam, ſi velint, cæteri Canonici, vel pro Ca-

a *Alexan. VII. in Viſit.*
b *Gregor. XI. in antiq. Conſtit.*
c *Gregor. XI. ubi ſupra, & Alex. VII. in Conſtit.* 36.

Capituli utilitate, vel ſui inſtructione intereſſe, niſi alitèr Archipresbytero, aut Vicario ex rationabili cauſa viſum fuerit.

III. Ipſis pariter onus incumbat invigilandi, ut Cauſæ ad Capitulum ſpectantes ritè, & ſedulò promoveantur, & præſertìm, nè Immunitates, & Privilegia ejuſdem Capituli quid detrimenti patiantur.

IV. Singulis annis (*a*) bis ſaltèm compellant Miniſtros ſubalternos rationem reddere propriæ adminiſtrationis, deque reddita ratione Capitulum informent; In principio cujuslibet anni(*b*) poſt dies quindecim exponatur in publico per Officiales, & Miniſtros ſtatus ipſarum exactionum, ut unuſquiſque de iis, quæ ad proprium lucrum, & damnum pertinent, plenam notitiam habere poſſit.

V. Omnium reddituum diviſiones ea curent methodo fieri, ut annui fructus eodem anno diſtribuantur inſervientibus (*c*). Singulis pariter annis de univerſo ſtatu œconomico Capitulum certiorent.

Præ-

a *Alexan. VII. in Viſit.*
b *Innocen. XII. in Viſit.*
c *Idem ubi ſupra.*

VI. Prædia quæcumque ruſtica ad Eccleſiam ſpectantia (a) nullo modo locare valeant Conſanguineis, Affinibus, vel Cognatis cujuſvis de Clero uſque ad tertium gradum incluſivè, ſub pœna nullitatis contractus: Urbana verò, ſi Conſanguineis, Affinibus, aut Cognatis pro utilitate Eccleſiæ locari expediat, de conſenſu Capituli permittatur. Statuas marmoreas, columnas, aut lapides cujuſcumque generis magni valoris ad Eccleſiam pertinentes, nec etiam de licentia Capituli alienare quovis titulo præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito, ſub pœnis, & cenſuris contra Alienantes.

VII. Camerariis minimè liceat expenſas extraordinarias facere ſupra ſummam ſcutorum decem abſque Capituli licentia: ſi ſecùs fecerint, maſſæ reſtituant.

VIII. Omnem pecuniam ad Eccleſiam, & Capitulum ſpectantem deponi curent penès Menſam nummulariam Sancti Spiritus, aut Montis Pietatis.

IX. Illis curæ ſit (b), ut omnes Offi-

çia-

Gregor. XI. in antiq. Conſtit., & Alex. VII. in Viſit., & in Sul.a 37.

b *Urban. VIII., & Innoc. XII. in Viſit.*

ciales, & Adminiſtratores bonorum poſt redditam rationem, ſingulos libros, aliaſque Scripturas ad Eccleſiam pertinentest radant Archivo Præfecto, in eodem reponendas ſub pœna amiſſionis fructuum trium menſium, qui illicò Sacriſtiæ applicati intelligantur.

X. Fiat ab illis Inventarium de omnibus redditibus, ac bonis, ſivè mobilibus, ſivè immobilibus. Poſtquàm autem dictum Inventarium fuerit completum, cæteri Succeſſores in dicto Camerariorum Officio, vel novum conficiant Inventarium, ſi id erit neceſſe, vel ſaltèm præcedenti Inventario addant omnes reddituum, ſeù bonorum partitas, quæ pro tempore eorum adminiſtrationis auctæ ſunt, vel, ſi diminutæ fuerint, expungant.

XI. Si aliquem ex Camerariis longo tempore ab Urbe abeſſe contigerit, Canonici Capitulariter congregati per ſecreta ſuffragia alium eligant.

XII. Nè verò per incuriam bona ad Capitulum ſpectantia aliquod in poſterùm patiantur detrimentum, bini Canonici, à Capitulo eligendi, triennio quolibet, incipiendo ab antiquioribus, teneantur perſonaliter ſe conferre ad ejuſdem Capituli

Fun-

Fundos, & Caſalia; eorumdem ſtatus, fines, & cætera omnia inſpicere, ac diligentèr perluſtrare, &, abſoluta viſitatione, de omnibus in primo, poſt ipſam, Capitulo referre, ut, ſi quæ fuerint, quæ proviſione indigeant, quid faciendum ſit, decerni poſſit. Excuſentur tamen, qui propter ætatem, malam valetudinem, aut aliud legitimum impedimentum per ſeipſos hoc Officium explere non poterunt: curabunt tamen ſubſtituere alios, qui eorum vice diligentèr viſitent, & referant.

TITULUS VI.

De Fabriceriis.

I. FAbriceriorum munus ſit (*a*), omnibus, quæ ad Fabricam Eccleſiæ, vel Sacriſtiam pertinent, præeſſe, & ſacram Supellectilem, Altaria, & Luminaria frequentèr perluſtrare, vt Eccleſia circa prædicta nullum Divini Cultus detrimentum patiatur.

 II. Do-

a *Gregor. XI. in antiq. Conſtit., & Alex. VII. in Viſit.*

II. Domos, ac alia Ædificia ad Capitulum ſpectantia perſonalitèr viſitent, advertentes, ſi quæ reparatione indigeant. Quidquid reparandum erit magnis impenſis, Capitulo referant.

III. De Cereis, Oleo, cæteriſque in Eccleſiæ uſum comparandis œconomiam habeant.

IV. Eleemoſynas prò Sacrificiis oblatas in ſuis Capſulis ſervandas, & ſingulis menſibus Sacerdotibus diſtribuendas tàm in Eccleſia, quàm in Oratorio Beatæ Mariæ in Fonte, deſcribi curent à Sacriſtis in libris ad id comparatis; quod paritèr præſtandum de reliquis Eleemoſynis. Claves dictarum Capſularum penès ſe retineant. Aperiantur qualibet hebdomada. Conferatur pecunia inventa cùm notis Librorum; & celebrationi Miſſarum oblatarum ſatisfiat ſaltèm in hebdomada ſequenti.

V. Curent Miſſas eo ordine dividi, ut uſque ad meridiem continuò confluentium pietati ſatisfiat (*a*). Invigilent, ut onera Miſſarum perpetuarum in diebus, & Altaribus ſtatutis omninò adimpleantur, quod-

a *Alex. VII. in Viſit.*

quodque Sacriſtæ ſuo muneri ſatisfaciant, cùm facultate eos prò ſuo arbitrio multandi, ſi defeçerint: vtque hæç omnia faciliùs executioni demandentur, retineantur Libri in Saçrario, in quibus quotidiè celebratio proprio Celebrantis, vel ab eo deputati charactere adnotetur.

VI. Advertant, ut Manſionarii, quæ præçipuè ad Eccleſiæ cultum, & nitorem pertinent, diligentèr peragant (*a*), Negligentes eorum arbitrio plectantur, & quos inemendatos deprehenderint, à ſervitio Eccleſiæ prò ſui prudentia dimittant.

VII. Frequenter obſervent, an decreta Sacræ Viſitationis Alexandri VII. in quatuor Tabellis deſcripta debitæ executioni demandentur, ob idque perpetuò in Sacrario appenſa retineantur.

VIII. Unoquoque triennio omnia Supellectilia conferant cùm Inventario, deſcribantque, ſi quæ accreverint, & de iis, quæ ulteriùs uſui eſſe nequeunt, diſponant pro ſua prudentia in Eccleſiæ commodum, & utilitatem, tanquàm fideles adminiſtratores.

IX. Ex Brevi Clementis VII. expedit. 17. Aprilis 1531., vetitum eſt ſub pœna excommunicationis commodare quidquid ex ſacra Supellectili ad Eccleſiam pertinet, ideòque Fabriceriis curæ ſit, nè aliter fiat.

X. Fructus Locorum Montium unius cùm dimidio ſuprà ſexaginta ex pretio Anulorum DD. Cardinalium (a), quos Summi Pontifices, & poſtremò Gregorius XIII. Fabricæ Baſilicę Lateranenſis aſſignarunt, nè in alios uſus convertantur, ſummoperè caveant, quod paritèr curandum quoad alios redditus. Item fructus decem Locorum Montium à Paulo Boccardino olìm Canonico legatorum quolibet biennio in ſacris Paramentis, quibus ſtemma Teſtatoris apponatur, diligentiſſimè impendant, nè fortè per triennalem inobſervantiam incurratur caducitas.

XI. Monetæ aureę, ac argenteæ, quæ per Canonicos, Beneficiatos, ac reliquos de Clero, ut moris eſt, deponuntur ſuper Altare SS. Apoſtolorum occaſione

ade-

a *Alexan. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*

adeptionis poſſeſſionis, cedant lucro Maſſæ minutæ. (a)

XII. Invigilent, nè in Porticibus Eccleſiæ vendantur Candelæ, Dulciaria, aut Numiſmata, & alia hujuſmodi ſub pœnis contentis in Decretis Sacrarum Viſitationum.

XIII. Quolibet anno referant Capitulo ſtatum Maſſæ minutæ, Fabricæ, & Sacrarii. (b)

XIV. Prohibentur, ſine conſenſu Capituli, exceptis expenſis conſuetis, aliquid expendere ſupra ſummam ſcutorum decem; &, ſi contrarium fecerint, intra triduum, ea, quæ ſupra expenderint, Maſſæ reſtituant.

XV. Ad ipſos ſpectet deputatio Miniſtrorum Eccleſiæ inſervientium, de quibus non fit mentio in *Tit. de Facult. Capit.*

a *Ex Decret. Innocen. XII.*

b *Alexan. VII.*, *&* *Innoc. XII. in Viſit.*

TITULUS VII.

De Syndicis.

I. SYndici (*a*) ſingulis annis generalem omnium Officialium expleant Syndicatum, illoſque ad reddendam rationem compellant; redditam cognoſcant, ferantque ſententiam in Archivo reponendam. Id præſtare negligentes privatione fructuum ſui Canonicatus per duos menſes puniantur.

TITULUS VIII.

De Secretario, ſeù à Secretis.

I. À Secretis curæ ſit (*b*) literas ſcribere, Decreta, & Acta Capitularia in Codicem referre, illaque in Archivo ſingulis annis reponere: Bullas proviſionum, fundationum, & renovationum conficere, necnon ſedulò curare, ut proviſi

a *Gregor. XI. in antiq. Conſtit., Urban. VIII., & Alex. VII. in Viſit.*
b *Alexan. VII. in Viſit.*

viſi à Capitulo de Beneficiis, adeptæ poſſeſſionis documenta authentica tranſmittant, ſub pœna nullitatis prouiſionis, niſi intra tres menſes id præſtiterint, de qua pœna mentio fieri debeat in ipſa Bulla.

II. Conficiat (a) ſingulis annis regeſtum literarum omnium, quæ nomine Capituli ad Lateranenſes Vicarios, cæteroſque Miniſtros dantur, in Archivo aſſervandum; &, ſi in præmiſſis defecerit, plectatur pœna amiſſionis fructuum unius menſis, Sacriſtiæ applican.

TITULUS IX.

De Præfecto Archivo.

I. ARchivi Claves penès ſe habeat: omnia documenta, & reliqua ſcripta quomodolibet ad Capitulum ſpectantia diligentèr cuſtodiat (b) juxtà formam præſcriptam in Viſitatione ſan. mem. Alexandri VII., &, ſi quid in eorum indicibus peccatum eſt, emendare ſtudeat: à ſumptibus tamen, quamvis ad id ne-

 ceſ-

a *Alexan. VII. in Viſit.*
b *Urban. VIII., Alex. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*

ceſſariis, abſtineat, niſi conſulto Capitulo.

II. Nullus Canonicus, Beneficiatus, & Clericus Beneficiatus, nec quiſque alius de gremio Eccleſiæ, documenta, ſivè Scripturas quaſcumque ad Eccleſiam ipſam ſpectantes apud ſe, niſi prævia Capituli licentia, in Scriptis concedenda, & in Archivo ipſo aſſervanda, cum Apocha de recepto, in privatis Domibus retineat, ſed eas quamprimùm ad Archivum deferat, atque reſtituat ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis, quandiù retinuerit.

III. Curet potiſſimùm, ut Notarius, Officiales, & quilibet alius, qui Capituli negocia tractaverit, ſcripta, quæ ad rem Capituli faciunt, in Archivum deferant.

IV. Si quæ ſcripta ex eo extrahenda occurrant, fiat de licentia Capituli (*a*); & tunc in Libro ad id comparato, qui extrahit, adnotet, reſtituenda intra quindecim dies, prorogandos, ſi opus fuerit, per Capitulum. Aliàs fieri nefas eſt, inflicta pœna excommunicationis, ut ex Tabella in Archivo expoſita.

TI-

a *Gregor. XI. in antiq. Conſtit., Alexan. VII., & Innocen. XI. ac XII. in Viſit.*

TITULUS X.

De Præfecto Capellæ Cantorum.

I. CApellæ Præfectus, Muſicos admittendi, iiſdemque, ut abſint, alioſque ſubrogent, permittendi jus habeat.

II. Illi curæ ſit, ut Magiſter Capellæ, Organiſta, & Cantores ſedulam præſtent operam ſervitio Chori, & Eccleſiæ; quod ſi defecerint, illos corrigat iis remediis, quibus magis ſibi expedire videbitur; & inſuper invigilare debeat, ut modulationes Eccleſiæ grauitatem, decorem, & pietatem referant (a); in expenſis etiam in Feſtis ſolennioribus modum ſervet juxtà conſuetudinem. Hujuſmodi mandatis ipſe ſubſcribat.

III. Teneatur paritèr, omnes Muſicales libros in Inventario per manus Notarii conficiendo, & in Archivo retinendo, deſcriptos diligentèr in Armario cuſtodire, ejuſque clavem apud ſe retinere, eoſdemque in fine ſui Officii, ſervata eadem forma, Succeſſori tradere.

TI-

a *Vrban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*

TITULUS XI.

De Præfecto Abbatiæ Ferentilli.

I. IN Abbatia Ferentilli Capitulum exercet Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in univerſum Populum, & Clerum eum Territorio ſeparato, ſervatis tamen quibuſdam limitationibus, concordatis inter Epiſcopum Spoletinum, & Capitulum, probatiſque ab Urbano VIII.

II. Hujuſmodi Abbatiæ præficitur Canonicus, cujus eſt, quæ ſpiritualem œconomiam reſpiciunt, adminiſtrare nomine Capituli, ejuſque Juriſdictionem totis viribus tueri. Omnes recurſus, qui ab Incolis ejuſdem Abbatiæ ad ipſum, vel ad Capitulum fiunt, diligentèr recognoſcere, itidemque Capitulo referre. Curet paritèr ſingulis trienniis Abbatiam viſitare ſumptibus Capituli, & Viſitationis acta in Capitulo referre, atque in Archivo reponere.

TITULUS XII.

De Præſecto Catechiſmo.

I. SIngulis diebus Dominicis Vicarius perpetuus, unà cum Coadiutoribus Plebem ſibi commiſſam de iis, quę ad ęternam ſalutem pertinent, erudire debeat (*a*). Ut igitur muneri ſuo faciat ſatis, tantùmque miniſterium, qua decet, ſedulitate, & pietate exequatur, Canonicus Catechiſmo Præfectus invigilet; negligentes compellat, &, ſi quæ ad hunc finem conducere exiſtimabit, ſuo arbitrio, & prudentia diſponat.

TITULUS XIII.

De Præfecto Canonibus Vinearum.

I. CUm plurimas Capitulum poſſideat Vineas in proprietate, quas conceſſit, & concedere ſolet in emphyteoſim cùm certa annua reſponſione Canonis, neceſſe-

a *Alexan. VII. in Viſit.*

ceſſe eſt,ut in conſueta Officialium electione Canonicus aliquis ad Officium hujuſmodi exercendum renuncietur.

II. Illi igitur curæ ſit (*a*), ſumptibus Capituli librum conficere,in fine cujuslibet anni in Archivo reponendum, in quo diligentiſſimè adnotentur omnes Inveſtituræ, Annui Canones, Quindennia, Laudemia, Poſſeſſores Vinearum antiqui, & recentes; necnon invigilet ſuper exactione dictorum Canonum, & ſuper reliquis, quæ ad hanc rem pertinent. Utque faciliùs Jura, ſeù Bona ab Occupatoribus vindicentur, quilibet Canonicus, Beneficiatus, & Clericus quolibet anno, abſoluta Vindemia, eidem notulam tradere teneatur, in qua deſcriptæ ſint Vineæ ſibi in Præbendam aſſignatæ, locus, fines, & earum quantitas, itemque nomina, & cognomina poſſeſſorum, cùm reliquis demonſtratiouibus, ex quibus illarum identitas agnoſci valeat, ſub pœna unius aurei quotannis incurrenda.

TI-

(a) *Innocen.XII. in Viſit.* ...

TITULUS XIV.

De Camerariis Beneficiatis.

I. CAmerarii Beneficiati pecunias Menſæ Capitularis, alter pro Maſſa groſſa vigore ſyngrapharum à Canonicis Camerariis, alter pro Maſſa minuta vigore paritèr ſyngrapharum à Canonicis Fabriceriis ſubſcriptarum, exigant, diſtribuantque juxtà ſolitum in Clerum univerſum, exceptis Capellanis (*a*). Itidem poſt annum confirmari non poſſint, niſi priùs exhibita ratione dati, & accepti; quam ſi non reddiderint per totum menſem Januarii anni ſubſequentis, amittant diſtributiones trium menſium, quæ cedant commodo Sacrarii.

II. Uterque Camerarius abſens ratione Officii habeatur veluti præſens. Et præterea Camerario Maſſæ minutæ congruum Stipendium prò ſuis laboribus aſſignetur.

TI-

a *Alexan. VII. in Viſit., & in Bulla 3. Aprilis* 1656.

TITULUS XV.

De Miniſtris Sacrorum Rituum.

I. Eligantur duo ex Beneficiatis, & in eorum defectum alii de Clero.

II. Illorum ſit: *Libellum Ordo Divini Officii* nuncupatum, & Tabellas prò ſervitio hyemali, & æſtivo, ſervato antianitatis ordine, conficere (*a*); necnon quæ ad formam Ritualis, & Cæremonialis, ac juxtà laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem præſtari ſolent, diſponere.

III. Singulos (*b*), quos opus ſit, moneant, Sacras Cæremonias, & Eccleſiaſticos Ritus ſervare; illiſque omnes pareant.

IV. Teneantur in Sacrario Tabellam exponere (*c*), in qua adnotentur Canonici, & Beneficiati, ad quos ſpectat Miſſam, & Evangelium cantare, & Epiſtolam legere in futura hebdomada.

V. Itidem (*d*) notulam conficere eorum, qui adorationi SS. Sacramenti per cir-

a *Alex. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*
b *Urban. VIII. in Viſit.*
c *Gregor. XI. in Conſtit.*
d *Alexan. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*

circulum Quadraginta Horarum expoſiti, cunctis diei horis debeant aſſiſtere, juxtà præſcripta in *Tit. de Servit. Chori*.

VI. Ipſis incumbit (a) deputare, quem maluerint ex Beneficiatis, in locum, eorum, qui prompti non ſint ad ſumenda Pluvialia in ſolitis Eccleſiæ functionibus.

VII. Abſentes, dùm Canonicalia Anniverſaria celebrantur, punctentur (b); eorumque emolumenta vices ſupplentibus cedant, niſi alitèr tunc abſens, & vicem ſupplens intèr ſe conveniant.

TITULUS XVI.

De Scriptoribus Fallarum.

I. Fallarum Scriptoribus onus incumbat (c) jurandi coram Vicario, & Canonicis, munus ſibi commiſſum fideliter exercendi, ſub formula in fine Conſtitutionum præſcripta. Abſentes ſub pœna perjurii notent in Libro Fallarum coram Vicario, aut Præfecto Choro; eumdemque Li-

a *Alexan. VII. in Viſit.*
b *Innoc. XII. in Viſit.*
c *Urban. VIII., Alex. VII., & Innoc. XII. in Viſit.*

Librum ſine eorum licentia nemini tradant, niſi Eccleſiæ Ratiocinatori, vel Canonicorum Sacriſtæ.

II. Caveant nè commutationes Hebdomadarum adnotent in dicto Libro, niſi priùs obtenta à Capitulo approbatione.

III. Prò abſentibus ſervetur methodus præſcripta *in Tit. de Servit. Chori*, nec unum punctum ſub quovis prætextu valeant condonare; & ſi contravenerint, ultrà refectionem tantidem de proprio, aliis etiam pœnis Archipresbyteri arbitrio plectantur.

IV. Æſtivo tempore Sacriſta fungatur Officio Scriptoris Fallarum, præſtito juramento in Capitulo de Officio ſibi commiſſo fideliter exercendo juxtà normam traditam *in Tit. de Divinis Officiis, & Servitio Eccleſiæ §. Servitium æſtivum*.

V. Omnes autèm prædicti Fallarum Scriptores teneantur earumdem Librum, ſeù Folia à ſe ſubſcripta in fine cujuslibet anni tradere Prefecto Archivo, ut in eodem ſerventur.

VI. Abſente tandem ordinario Punctatore, munus ſit Præfecti Choro, alium Punctatorem, qui illius vices tunc ſuppleat, deputare.

PARS

PARS QUARTA

TITULUS PRIMUS

De Sacris Lipſanis.

I. EORUM cura commiſſa eſt Canonicis Camerariis (a), qui in Capſula Sacrarii retinere debent claves Ciborii marmorei uti ſupra Altare Pontificium, ubi SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Capita aſſervantur.

II. Teneantur itidem invigilare cuſtodiæ, & nitori earumdem Reliquiarum;& ad id præſtandum Juramento adſtringantur quatèr in anno, nempè Dominicis præcedentibus hebdomadas quatuor temporum, perluſtrandi capſam, thecas, gemmas, & ſeras; &, ſi quid repoliendum, & aptandum erit, repoliendi, & aptandi (b). Et quotieſcumque ingredi contigerit prædictum Ciborium, ſemper aſſiſtat Præfectus Palatii Apoſtolici,unus ex Conſervatoribus Urbis,

a *Urban.VIII., & Alexan.VII. in Viſit.*
b *Ex Decret. Alexan.VII.*

unus ex Cuſtodibus Hoſpitalis Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum, penès quos aliæ claves aſſervantur (*a*); & nullus alius etiam de gremio Eccleſiæ, niſi de licentia Præfecti Palatii Apoſtolici, aſcendere præſumat ſub pœna excommunicationis. Sciant tamen iidem Camerarii, quod ipſi præcedere debent præfatos Conſervatorem, & Cuſtodem ex decreto Sacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ 16. Septembris 1683.

III. Oſtendantur tantùm ſtatutis temporibus, niſi fortè S. R. E. Cardinalibus, Principum Oratoribus, aut Perſonis Dignitate conſpicuis, ſemper tamen de licentia Capituli.

IV. Ne quid, vel minimum ex ipſis cuipiam demere liceat, niſi de Summi Pontificis aſſenſu: qui ſecùs fecerit, ſciat ſe excommunicationi latæ ſententiæ obnoxium.

V. Noſcant paritèr Canonici Camerarii, quod in ſignum Dominii, & Juriſdictionis, quam Capitulum habet in Oratorio ad Sancta Sanctorum, retinent in dicta Ca-

a. *Ex Decreto Congreg. Viſit.* 9. *Februarii* 1662.

Capſula clavem Tabernaculi Ven. Imaginis Sanctiſſimi Salvatoris ibidem exiſtentis, quam tradere ſolent Canonico Pluviali induto, qui ad Tabernaculum accedens, Thecam Imaginis reſerat; Sera verò, & vectis Tabernaculi, ſic reſerati à Magiſtro Cæremoniarum in Sacrarium deferantur: eodem ritu cùm clavi à Camerariis cuſtodienda, donèc claudatur; ſequuta autem clauſura, clavis Camerariis reddatur.

TITULUS II.

De Domiciliis Canonicorum, Beneficiatorum, & Clericorum Beneficiatorum.

I. Domicilia prædicta (*a*) cuncta ſunt ſub proprietate Eccleſiæ Lateranenſis, & ſunt annexa præbendis abſque optione: licitum tamen ſit Canonicis, & reliquis de Clero, eorum vita durante, illorum uſum locare Perſonis ejuſdem Eccleſiæ.

II. Nulli liceat in eis receptare Perſonas quomodolibet diffamatas ſub pœnis per

a Vrban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.

per Archipreſbyterum, vel ejus Vicarium infligendis.

III. Ingreſſus ad ea ultra Arcum, juxtà decreta Sacræ Viſitationis, (a) prohibetur Mulieribus, quocumque, etiam primo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctis, ſub pœna excommunicationis eo ipſo incurren.

IV. Sub eadem paritèr pœna (b) eiſdem prohibetur ingreſſus ad Manſiones eidem arcui proximas, necnon ad alias Eccleſiæ adjacentes, compræhenſa etiam Scala, quæ ducit ad Turrim Campanariam, exceptis tamen caſibus à Vicario Baſilicæ ex juſta, & rationabili cauſa declarandis, totiès quotiès caſus occurrerint.

V. Vicarius una cùm Canonicis Camerariis, & Fabriceriis quolibet anno mox dicta Domicilia viſitet; &, ſi repererit reparatione indigere tàm in muris, & tectis, quàm in cæteris aliis, cogat poſſeſſores ad id præſtandum intra menſem: quod ſi tempore præfixo exequi neglexerint, arbitrio Capituli amittant diſtributiones unius menſis

a *Urban. VIII., & Alexan. VII. in Viſit.*
b *Innoc. XII. in Viſit. an.* 1693.

ſis, ultrà expenſas pro reparatione neceſſarias.

TITULUS III.

De Vicario Curato.

I. CUm cura habitualis Animarum, quæ degunt in Parochia, ſit penès Capitulum, actualis verò penès Vicarium Curatum ex Inſtitutione Sancti Pii V. (*a*), idcircò Capitulum maxima ſolicitudine invigilare debet, ut iſte in illius exercitio nuneri ſuo non ſegnitèr, ſed ſtrenuè ſaisfaciat; ab hoc enim illarum ſalus magna x parte dependet.

II. Præſertìm quia non deſunt illi 'oadjutores; nàm cùm Parochia extendaır etiam extrà Urbis mœnia, providè ſan. em. Innocentius XII. ſuppreſſit duas Callanias olìm in Baſilica per Gregoım XIII. pro duobus Capellanis, Alta- Sanctiſſimi Sacramenti Cuſtodibus, eres, illaſque univit Vicariæ, ad effectum

E 3 ex

'*onſtit.* 139.

ex illarum fructibus manutenendi duos idoneos Presbyteros, quorum unus, eidem Altari inſeruiens, Vicarium in exercitio curæ coadjuvet. Alter verò idem Officium præſtare teneatur extrà mœnia Urbis; & præſertim in loco *Falcognano* nuncupato, ubi adeſt Eccleſia, in qua Sacramenta Villicis, & Agricolis, aliiſque vicina loca habitantibus miniſtrare, Miſſamque per ſe ipſum, vel eo impedito, per Sacerdotem alium, Dominicis, &, quæ per hebdomadam occurrent, feſtivis diebus celebrare teneatur, cùm facultate in eadem Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramentum decentèr retinendi, & aſſervandi, ut conſtat ex illius Motu proprio 14. *Septembris* 1694.

III. Vicarius igitur Curatus tot ſubſidiis adjutus munus ſuum agnoſcat, ea, qua pàr eſt, pietate, ac ſedulitate exerceat, ac pro ſui debito, & enixo Capituli voto, ea omnia peragat, quæ in inſtructione pro animarum cura in Viſitatione ab Alexandro VII. præſcripta leguntur in Tabella in Sacrario affixa, quæquæ in Concilio Romano, ac Rituali pro ſui oneris adimplemento decreta ſunt.

Cu-

IV. Curet, ut Parochi, aliique, qui Sancta Olea recipiunt, proprio Charactere in libello id adnotent, ac libellum ipſum ſingulis annis in Archivum deferat, ſub pœna contenta in dicta Viſitatione.

V. Solet Vicario Capitulum ſubminiſtrare quotannis congruum ſtipendium, ad tenorem dictæ Conſtitutionis, cujus commodo paritèr cedunt omnia, & ſingula emolumenta occaſione tumulationis Cadaverum, ac Officiorum Funeralium, quæ dumtaxàt in ipſa die humationis eorumdem celebrantur; necnon alii plures proventus, qui retrahuntur ex pluribus obventionibus, ac teſtimonialibus literis.

TITULUS IV.

De his Conſtitutionibus.

UTque harum omnium Conſtitutionum notitia ad omnes perveniat, ſumptibus Capituli typis mandentur; & quilibet Canonicus, & reliqui de Clero in actu capiendæ poſſeſſionis ſumant libel-

 lum,

lum, ut ſupra impreſſum; & annis ſingulis in die à Capitulo deſtinanda intrà menſem Maji in Choro hyemali publicè, ac diſtinctè legantur, præſentibus omnibus de Clero, per illum, cui à Præfecto Choro fuerit demandatum. Abſentes verò multentur, ac ſi tribus Communibus abfuiſſent, & multa Intervenientibus accreſcat.

FINIS

TA-

Digitized by Google

TABELLA DIERUM,

In quibus Clerici Alumni Seminarii Romani tenentur intereſſe Choro, & deſervire Divinis Officiis.

DOminica Prima Quadrageſimæ in Veſperis.

Sabbato Quatuor Temporum Quadrageſimæ ad Miſs., in qua habentur Ordinationes generales.

Itidem Sabbato ante Dominicam Paſſionis ad Miſs., in qua habentur Ordinationes generales.

Dominica Palmarum in Veſperis.

Feria 5. Cœnæ Domini ad Miſs.

Sabbato Sancto per tot.

In die Paſchatis Reſurrectionis ad Miſs., & Veſp.

In ſecundis Veſperis Aſcenſionis Domini, ac etiam in Miſs., quandò in noſtra Eccleſia non habebitur Capella Papalis.

In Feſto S. Marci in Proceſſione Litaniarum Maior.

Sabbato Vigilia Pentecoſt. ad Miſs., & Proceſs. ad Fontem Baptiſmalem.

Die

Die Pentecoſtes ad Miſs., & Proceſs., & ſecundis Veſper.

Feria 3. Pentecoſtes ad Miſsam, Proceſsionem, & Benedictionem Sanctiſſimi Sacramenti.

Sabbato Quatuor Temporum Pentecoſt. ad Miſs., in qua habentur Ordinationes generales.

Feria 5. Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Proceſs.

Dominica intra Octavam ejuſdem ad Veſp., & Proceſs.

In Nativit. S. Joannis Baptiſtæ, in primis, & ſecundis Veſperis.

Sabbato Quatuor Temporum Septembris ad Miſs., in qua habentur Ordinationes generales.

In Feſto Dedicationis Baſilicæ Salvatoris Noſtri Titularis in primis, & ſecundis Veſp., & Miſs. Pontif.

Feria 3. poſt primam Dominicam Adventus ad Miſs., & Proceſs. pro expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti.

Feria 5. ſubſequen. in Miſs., & Proceſs. pro Benedictione ejuſdem.

Die Feſto S. Luciæ Virg., & Mart. in Miſs.

Sab-

Sabbato Quatuor Temporum Adventus in Miſs. , in qua habentur Ordinationes generales.

Die Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti in tertia Miſs. , ac primis , & ſecundis Veſper.

In Feſto S. Joannis Apoſtoli , & Evangeliſtæ in primis , & ſecundis Veſper. , & Miſs.

In omnibus Proceſſionibus , quas fieri contingat , vel de ordine Summi Pontificis , ſeu ejus Vicarii , vel alterius , in quibus debet intervenire Capitulum.

DIES COMMUNES TOTIUS ANNI,

Quibus tenentur Reverendiſſimi DD. Canonici, necnon RR. DD. Beneficiati, & Clerici Beneficiati, intereſſe, & deſervire Divinis Officiis.

JANUARIO

DIe Circumciſionis ad Miſſam, & Veſper.
In Vigilia Epiphaniæ ad Veſper.
Die Epiphaniæ Domini ad Miſſam, & Veſper.
Dominica prima poſt Octavam Epiphaniæ manè fit Proceſſio pro clauſura Imaginis Sanctiſſimi Salvatoris.

FEBRUARIO

Die Purificationis B. M. V. ad Miſſam.
Die S. Matthiæ Apoſtoli ad Miſſam.

MAR-

MARTIO

Die Annunciationis B. M. V. ad Miſſam.

APRILI

Die 16, dicti in Feſto Translationis Capitum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli ad Miſſam.

Die Sancti Marci manè ad Proceſſionem in Litaniis Majoribus ab Eccleſia ejuſdem S. Marci ad Baſilicam Vaticanam.

MAJO

Die SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi ad Miſſam.

Die Inventionis S. Crucis ad Miſſam.

Die S. Joannis ante Portam Latinam ad Miſſam, & Veſperas in ejus Eccleſia.

JUNIO

Die S. Antonii de Padua ad Miſſam.

In Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ ad Veſper., & Matutin. Pontifical. diei ſequentis.

Die

Die Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ fit Aſſiſtentia Sanctiſſimo Domino Noſtro Papæ ad Baſilicam accedenti pro Capella peragenda, & ad Veſper. Pontificales.

In Vigilia SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli ad Veſper.

Die SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli ad Miſſam, & Veſper.

JULIO

Die S. Mariæ Magdalenæ ad Miſſam.

Die S. Jacobi Apoſtoli ad Miſſam.

Die S. Annæ ad Miſſam.

AUGUSTO

Die S. Laurentii Martyris ad Miſſam.

In Vigilia Aſſumptionis B. M. V. ad Primas Veſperas ejuſdem Feſti, & poſt Completorium ad Proceſſionem pro aperitione Imaginis SS. Salvatoris.

Die Aſſumptionis B. M. V. ad Miſſam, & Veſperas.

Dominica poſt Octavam Aſſumptionis B. M. V. fit Proceſſio pro clauſura Imaginis SS. Salvatoris.

Die

Die S. Bartholomæi Apoſtoli ad Miſſam.
Die Decollationis Sancti Joannis Baptiſtæ ad Miſſam.

SEPTEMBRI

Die Nativitatis B. M. V. ad Miſſam.
Die S. Matthæi Apoſtoli ad Miſſam.
Die Dedicationis S. Michaelis Archangeli ad Miſſam.

OCTOBRI

Die S. Franciſci ad Miſſam.
Die SS. Apoſtolorum Simonis, & Judæ ad Miſſam.
In Vigilia Omnium Sanctorum ad Veſper.

NOVEMBRI

Die Omnium Sanctorum ad Miſſam, & Veſper., ac Matutinum Defunctorum.
Die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ad Miſſam ſolennem pro Defunctis.
In primis Veſperis Pontificalibus Dedicationis Baſilicæ Salvatoris Noſtri Titularis.

Die

Die Dedicationis ejuſdem Baſilicæ ad Miſſam, & Veſperas Pontificales.
Die S. Andreæ Apoſtoli ad Miſſam.

DECEMBRI

Die S. Ambroſii ad Miſſam.
Die Conceptionis B. M. V. ad Miſſam.
In Vigilia S. Thomæ ad Veſperas.
Die S. Thomæ ad Miſſam, & Veſperas.
In Vigilia Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ad Veſperas, & fit Proceſſio pro aperitione Imaginis Sanctiſſimi Salvatoris.
Die Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ad Matutinum, tres Miſſas, & Veſperas.
Die S. Stephani ad Miſſam, & ad primas Veſperas Pontificales S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ.
Die S. Joannis Apoſtoli, & Evangeliſtæ ad Miſſam, & Veſperas Pontificales.
Die S. Silveſtri ad Miſſam, & Veſperas.
Singulis diebus Dominicis per annum ad Miſſam.
Quadrageſimali tempore diebus Dominicis ad Miſſam, & Veſperas.

Itèm

Itèm Feriis ſextis Quadrageſimæ ad Miſſam, & Veſperas, excepta Feria ſexta Quinquageſimæ, in qua ad Miſſam tantùm,

IN FESTIS MOBILIBUS

Dies Communes,

Feria quarta Cinerum ad Miſſam,

Sabato quatuor Temporum poſt Dominicam primam Quadrageſimæ ad Miſſam Pontificalem prò Ordinatione generali.

Sabato poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ ad Miſſam Pontificalem prò Ordinatione generali.

Die Stationis in Eccleſia S. Joannis antè Portam Latinam, Sabato poſt Dominicam Paſſionis, ad Miſſam de Feria, cui aſſiſtunt qui non ſunt de ſervitio, & poſteà ſit Proceſſio pro aperitione Imaginis Sanctiſſimi Salvatoris.

Feria ſecunda, tertia, & quarta Majoris Hebdomadæ ad Miſſam, & Veſper., ac dicta Feria quarta hora conſueta ad Matutinum diei ſequentis.

Feria quinta in Cœna Domini ad Miſſam Pontificalem, & ad Veſperas, ac hora conſueta ad Matutinum diei ſequentis.

Feria ſexta in Paraſceve ad Miſſam, & Veſperas, ac hora conſueta ad Matutinum diei ſequentis.

Sabato Sancto mane ad Miſſam, & Veſperas Pontificales.

Die Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ ad Miſſam, & Veſperas Pontificales.

Feria ſecunda, & tertia ejuſdem Reſurrectionis ad Miſſam, & Veſperas.

Sabato in Albis ad Miſſam, & Veſperas.

Feria tertia Rogationum manè accedit Proceſſio Cleri ad noſtram Archibaſilicam, & fit Aſſiſtentia.

Vigilia Aſcenſionis ad Veſperas.

Die Aſcenſionis fit Aſſiſtentia Summo Pontifici, ſi erit Capella Papalis, ſin minus ad Miſſam, & Veſperas.

In Vigilia Penteçoſtes ad Miſſam Pontificalem, & Veſperas.

Dominica Penteçoſtes ad Miſſam, & Proceſſionem Pontificales pro expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, & ad Veſperas.

Feria ſecunda Penteçoſtes ad Miſſam, & Veſperas.

Fe-

Feria tertia Pentecoſtes ad Miſſam, & fit Proceſſio prò repoſitione Sanctiſſimi Sacramenti, & ad Veſperas.

Sabato quatuor Temporum Pentecoſtes ad Miſſam Pontificalem prò Ordinatione generali; & ad Veſperas.

In Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis ad Miſſam, & Veſperas.

In Vigilia Sanctiſſimi Corporis Chriſti ad Veſperas.

In Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti Proceſſio Papalis à Capella Sixtina ad Baſilicam Vaticanam; Tempore verò Sedis vacantis, vel abſente Papa ab Urbe, Proceſſio Papalis Sanctiſſimi Sacramenti fit ad Baſilicam Lateranenſem poſt Miſſam celebratam per Reuerendiſſimum D. Viceſgerentem cum interventu Capitulorum Eccleſiarum Collegiatarum, & Cleri Romani, necnon Senatus, Populique Romani, Monachorum, & omnium Regularium, ac totius Tribunalis Eminentiſſimi Card. Vicarii.

Eadem die ad Veſperas.

Dominica intrà Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti ad Proceſſionem Pontificalem Sanctiſſimi Sacramenti extrà Eccleſiam,

ſiam , & poſtmodùm ad clauſuram Imaginis Sanctiſſimi Salvatoris .

Sabato quatuor Temporum Septembris ad Miſſam Pontificalem prò Ordinatione generali .

Feria tertia poſt Dominicam primam Adventus ad Miſſam , & Proceſſionem Pontificales pro Expoſitione Sanctiſſimi Sacramenti .

Feria quinta ſequenti ad Miſſam , & Proceſſionem prò repoſitione Sanctiſſimi Sacramenti .

Sabato quatuor Temporum Decembris ad Miſſam Pontificalem prò Ordinatione generali .

DIES COMMUNES

Inter præſentes.

JANUARIO

DIe 25. dicti in Feſto Converſionis Sancti Pauli Apoſtoli ad Miſſam.

MARTIO

Die 19. ejuſdem in Feſto Sancti Joſeph ad Miſſam.

AUGUSTO

Die 5. dicti ad primas Veſperas Transfigurationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.
Die 6. ejuſdem in Feſto ejuſdem Transfigurationis ad Miſſam, & ſecundas Veſperas.
Die 14. dicti in Vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis ad Miſſam de eadem Vigilia.

SEPTEMBRI

Die 7. ejuſdem ad primas Veſperas Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis.
Die 8. dicti ad ſecundas Veſperas ejuſdem Feſtivitatis.

DECEMBRI

Die 13. ejuſdem in Feſto S. Luciæ Virginis, & Martyris ad Miſſam Pontificalem prò Galliarum Rege.

IN FESTIS MOBILIBUS

Dies communes inter præſentes.

DOminica intra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti ad Veſperas.
Die Octava ejuſdem Sanctiſſimi Corporis Chriſti poſt Completorium ad Proceſſionem pro repoſitione Sanctiſſimi Sacramenti.

TABELLA HORARUM

Quibus Divinum Officium inchoari debet.

Ingreſſus ad Matutinum.			*Ad Veſperas.*	
Prima Januarii	Hora	$15\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	15	Hora	21
Prima Februarii	Hora	$14\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	14	Hora	21
Prima Martii	Hora	$13\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	13	Hora	21
Prima Aprilis	Hora	$12\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	12	Hora	21
Prima Maji	Hora	$11\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	11	Hora	21
Prima Junii	Hora	$10\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	$10\frac{1}{2}$	Hora	21
Prima Julii	Hora	$10\frac{1}{2}$	Hora	20
16. dicti	Hora	11	Hora	20
Prima Auguſti	Hora	$11\frac{1}{2}$	Hora	20
16. dicti	Hora	12	Hora	20
Prima Septembris	Hora	$12\frac{1}{2}$	Hora	20
16. dicti	Hora	13	Hora	20
Prima Octobris	Hora	$13\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	14	Hora	21
Prima Novembris	Hora	$14\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	15	Hora	21
Prima Decembris	Hora	$15\frac{1}{2}$	Hora	21
16. dicti	Hora	$15\frac{1}{2}$	Hora	22

Die verò Nativitatis Domini — Hora 10

ELENCHUS

Cleri Lateranenſis.

BEnedictus Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius Romanus Archipresbyter.

Alexander Tanarius Bononien. Signaturæ Juſtitiæ Votans Vicarius.

CANONICI

Vincentius Alamannus Florentinus Archiepiſcopus Seleuciæ.

Camillus Paulutius Forolivien. Archiepiſcopus Iconii.

Antonius Franciſcus de Valentibus de Trebio Archiepiſcopus Theodoſiæ.

Franciſcus de Vico Maceratenſis Epiſcopus Eluſinus.

Petrus Annibaldenſis de Molaria Romanus R.C.A. Decanus.

Philippus Columna Romanus Signaturæ Juſtitiæ Votans.

Antonius Franciſcus de Graſſis Romanus.

Carolus Teſta Romanus.

Nicolaus Sala Romanus.

Matthæus Scaglionus Viterbienſis.

Cæ-

Cæſar Cincius Romanus.
Michael Angelus CaffarellusRomanus Pontificii Cubiculi Honorarius.
Septimius Olgiatus Romanus.
Caietanus Valignanus Theatinus.
Antonius Maria Raſponus Ravennas.
Fabritius Sinibaldus Romanus U. S. R., & Fabricæ S. Petri OEconomus, & Secretarius.
Camillus Olgiatus Romanus.
Joſeph Vitelleſchus Romanus.

BENEFICIATI

Joannes Franciſcus Politangelus Romanus.
Franciſcus Pellegrinus Romanus.
Montes de Valentibus de Trebio.
Gaſpar Fontana Romanus.
Stephanus Arietus Romanus.
Julius Cœlius Firmanus.
Angelus Albericius Montis Franchi Spoletanæ Diœceſis.
Carolus Stephanus Fontana Comenſis.
Franciſcus Maria Palmegianus de Pinna Billi Feretranæ Diœceſis.
Alexander Alphonſius Romanus.
Philippus Chiccari Romanus.
Nicolaus Jannes Romanus.

Nicolaus Picchius de Mareno Coadjutor Politangeli.
Thomas Morus Ortonenſis.
Joannes Baptiſta Capitozzius Romanus.
Petrus Carbonus Aſculanus.
Dominicus Marchettus Romanus.
Felix Antonius de Felicibus Romanus Coadjutor Mori.
Joſeph Philippus de Sanctis Fabrianenſis.
Joſeph Criſpoltus Reatinus.
Dominicus Antonius Boldrinus Romanus.
Sigiſmundus Arietus Romanus.

CAPELLANI HILARIANI

Laurentius Vicinus Parmenſis.
Franciſcus Maria Barberius Parmenſis.

CAPELLANI CLEMENTINI

Dominicus Ballabene Mediolanenſis.
Andreas Saluatellus Romanus.
Joſeph Maria Montelaticus Florentinus.
Joſeph Grillotti Urbinas.

CAPELLANI URBANI

Cæſareus de Periculis Camers.
Angelus Belli Camers.
Franciſcus Maria Artz Florentinus.
Carolus Pozzi Florentinus.

CAPELLANUS POSSENTI

Joſeph Manocchius Romanus.

CLERICI BENEFICIATI

Laurentius Bellonus Romanus.
Auguſtinus Argenterius Nurſinus.
Philippus Canfarinus Romanus.
Vincentius Seccius Aſſiſienſis.
Joſeph Caraffa Romanus.
Franciſcus Lombardi Ariminenſis.
Clemens Orlandi Romanus.
Franciſcus Olivellus Ilcinenſis.
Dominicus Torchius Romanus.
Tranquillus Curiola Civitatis Caſtellanæ.
Antonius Laurenzi Romanus.
Franciſcus Vanderckeyden Romanus.
Joſeph Moronus Romanus Coadjutor Argenterii.
Nicolaus Fares Romanus Coadjutor Seccii.

CAPELLANI URSINI

Petrus Boncorius Romanus.
Petrus Boerius Taurinenſis Diœceſis.

VICARIUS CURATUS

Claudius Bartoli à Saccoveſio Spoletanæ Diœceſis.

Juramentum præſtandum à Canonicis in adeptione Canonicatuum.

EGo N.N. Canonicus hujus Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis juro, ac ſpondeo, me ab hac hora in poſterum fidelem, ac obedientem exhibiturum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, SS.D. Noſtro N. Papæ N., cunctiſque legitimis illius Succeſſoribus; Bullam, ſivè Indultum Innocentii XII. ſuper ſimultanea collatione obſervare ſpondeo. Archipreſbyteri quoque, Capituli, ejuſdemque Baſilicæ Jura, honores, privilegia, ac authoritatem conſervare, defendere, ac promovere curabo. Poſſeſſiones, & bona omnia tàm mobilia, quàm immobilia, ad ipſam Baſilicam pertinentia cuſtodire, ac tueri, eaque non alienare, & alienata vindicare promitto. Conſtitutiones dictæ Baſilicæ ex animo ſuſcipio, ac amplector, eaſque obſervare, &, quantum in me erit, ut ab aliis obſerventur, firmiſſimè propono, ac ſtudebo. Ego idem N.N. Canonicus Lateranen. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Jura-

Juramentum præſtandum à Beneficiatis, & Clericis.

EGo N. N. Beneficiatus, ſeù Clericus Sacroſantæ Baſilicæ Lateranenſis, juro, ſpondeo, ac promitto fidelitatem, & obedientiam perpetuam Sanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ, SS. D. Noſtro N. Papę N., ejuſque legitimis Succeſſoribus: authoritatem, ac præeminentias ejuſdem Baſilicæ, Archipresbyteri, & Capituli reverentèr agnoſcere, ac tueri, quantùm in me erit, curabo. In Divinis Officiis deſerviendis, ac in cæteris oneribus, quibus ſecundum meum ſtatum, ac juxtà præſcripta Conſtitutionum adſtringor, ſatisfacere eidem Sacroſanctę Baſilicæ ſedulò incumbam. Ego idem N.N. Beneficiatus ſeù Clericus Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranen. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Juramentum præſtandum à Camerariis.

NOs NN. electi in Camerarios huius Lateranenſis Baſilicæ promittimus, ac juramus fideliter adminiſtraturos Camerarii Officium juxtà normam à Conſtitutionibus ejuſdem Baſilicæ traditam, curantes pro poſſe noſtro, ut omnes proventus ad dictam Baſilicam pertinentes, nobis integrè conſignentur, & ut cuſtoditi rectè diſtribuantur juxtà tenorem earumdem Conſtitutionum. Nulli ex Canonicis, aut Beneficiatis, & Clericis de bonis Eccleſiæ ſcienter dabimus, nec ab illis auferri, ac recipi permittemus, ultrà quod illis de Jure debetur. Pro his verò, quæ noſtras vires, ac facultates ſuperant, reparandis fraudibus, ac damnis ejuſdem Baſilicæ, ad notitiam Archipresbyteri, ſeù Capituli fideliter deferemus. Finito tandem Officio, omnia integrè reſignabimus, fidelem rationem, ac computum de omnibus reddituri. Nos iidem NN. electi in Camerarios huius Lateranenſis Baſilicæ ſpondemus, vovemus, ac juramus. Sic nos Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Jura-

Juramentum præſtandum à Scriptoribus Fallarum.

NOs NN. ad exercendum Officium Scriptoris Fallarum Sacroſanctæ Lateranenſis Baſilicæ electi, promittimus, & juramus, quod Officium nobis injunctum fidelitèr exequemur. Abſentias Canonicorum, Beneficiatorum, Capellanorum, & Clericorum Beneficiatorum in Choro coram Vicario, & eo abſente, coram digniori Canonico, qui eo tempore intererit illis horis, fidelitèr notabimus, & punctabimus, juxtà nobis præſcriptum ordinem à dicto Canonico Chori Præfecto, in Libro Punctaturarum ſub pœna perjurii, & reſtitutionis. Quem Librum in noſtra abſentia nemini trademus, niſi cui fuerit conſignandus, ad formam harum Conſtitutionum *in Cap. de Scriptoribus Fallarum*, nec alicui ſub eiſdem pœnis, quovis prætextu, unum etiam punctum condonabimus. Nos NN. Scriptores Fallarum electi Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis ſpondemus, ac juramus. Sic nos Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Die 31. *Maji* 1727.

SUpradeſcriptas Conſtitutiones Capituli Sacroſanctę Eccleſiæ Lateranenſis in executionem Decreti ultimi Concilii Romani *Tit.II. Cap.IV.* confectas, & per me eiuſdem Sacri Concilii Secretarium, Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO PAPÆ XIII. relatas, Sanctitas Sua vidit, perpendit, & approbauit: utque ipſæ ab omnibus, quorum intereſt, faciliùs obſerventur, typis etiam mandari juſſit.

F. A. Archiepiſcopus Damaſcenus.

Loco ✠ Sigilli.

Digitized by Google

BENEDICTUS

PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

PASTORIS æterni vices, licèt immeriti, gerentes in Terris ea, quæ pro ſalubri Chriſtifidelium quorumcumque, præſertìm apud Eccleſias, quę ſuper omnes alias eminent, Altiſſimi obſequiis mancipatorum directione piè, prudentèrque conſtituta eſſe noſcuntur, ut firma ſempèr, atquę illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis, cum id à Nobis petitur, præſidio libentèr conſtabilimus. Nuper ſiquidem pro parte dilectorum Filiorum Capituli, & Canonicorum Eccleſiæ Sancti Joannis in Laterano de Urbe Nobis expoſitum fuit, quod juſſu Noſtro à Venerabili Fratre Franciſco Epiſcopo Eluſino dictæ Eccleſiæ Canonico pro ipſius Capituli rerum felici regimine, & adminiſtratione quædam Conſtitutiones confectæ, & per Nos viſæ, perpenſæ, & approbatæ fuerunt. Cùm autem, ſicut eadem

dem

dem expoſitio ſubjungebat, dicti Exponentes Conſtitutiones hujuſmodi confirmationis Noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſiderent; Nobis propterea humilitèr ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitùr ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à Jure, vel ab homine, quavis occaſiane, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium, dumtaxat conſequen. harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnes, & ſingulas Conſtitutiones per Nos viſas, perpenſas, & approbatas, ut præfertur, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium denuò confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet interuenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem preſentes Literas, ac Conſtitutiones

nes

nes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter obſervari: Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiàm Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit, dictæ Eccleſiæ, etiàm uramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoquè, indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus

autem,

autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeù exemplis, etiàm impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Anulo Piſcatoris die xxx. Septembris MDCCXXVII. Pontificatus noſtri Anno quarto.

F. Card. Oliverius.

Digitized by Google